COMMENTATIO

DE

VERO AC GENUINO PARTICULARUM

μὴ ET μὴ οὐ USU,

QUA

EXAMEN CIVIUM GYMNASII ELBINGENSIS

DD. 26. ET 27. MENS. SEPT. 1827

PUBLICE CELEBRANDUM

INDICAT

J. AUG. MERZ.

ELBINGAE, MDCCCXXVII.
TYPIS A. ALBRECHTI.

Sunt enim plurima vera quidem, sed parum credibilia, sicut falsa quoque frequenter verisimilia.

Quinct.

Quum nuper disciplinae nostrae alumnis Periclis orationem (Thuc. 1, 140 sqq.) explicarem, praeter alia multa, quibus ille locus laborare videtur, in his potissimum verbis interpretatio nostra haesit: (οὐ βέβαιον) μὴ οὐ προαναλώσειν (c. 141.) — quae, quominus cum Hermanno acciperem dubitanter dicta esse tum superiori anno, quum uberius et fusius tractavissem caput de negat. partic. tum etiam nunc denuo rem animo agitanti mihi obstare atque plura officere videbantur. Equidem licet virum celeberrimum de vero ac genuino particularum μή et μὴ οὐ usu excellenti ingenii acumine ac subtilitate exposuisse haud diffitear; tamen, si aliam rationem eamque, puto, probabiliorem faciliorемque esse dixero, non vereor, ne magno grammatico arrogantius fecisse videar; neve quis istam rem, quam his pagellis denuo explicaturus sum vel tam obscuram et impeditam existimet, ut vix unquam possit illustrari et expediri, vel tam levem ac fere nugatoriam, ut incepto plane abstinere sit sapientis.

Hermannus [1]) igitur, postquam in adnott. ad Viger. p. 796. sqq. et in ea, quam laudat l. c. dissert. de ellipsi et pleonasmo (vid. Mus. antiquit. stud.

[1]) Veteres docti quid statuant de discrimine inter μή et μὴ οὐ obtinente, inter Latinos optime indicat Priscianus his verbis: (lib. 18. p. 294. ed. Euch. Cervic. a. 1528) Aristophanes, inquit, μὴ οὐχὶ γίνεται. Nostri quoque frequenter duplici abnegatione utuntur pro simplici, ut nihilominus pro non, et recuso ne faciam pro recuso facere. Attici ἀπαγορεύω μὴ λέγω καὶ ἀπαγ. λέγειν. — Illi ἐπέχω σε μαινόμενον καὶ μαίνεσθαι καὶ ἐπέχω σε ἵνα μὴ μαίνῃ. Quin pergere licuit: καὶ ἐπέχω σε μὴ μ. et μὴ οὐ μ.. Quid et quale reliqui nos doceant equidem nescio libris destitutus; quamquam, nisi me animus fallit, etiam Apollonius, grammaticorum facile princeps, silentio rem praetermisit. Sed vide Eustath. ad Hom. Od. 16, 459. μηδὲ φρεσὶν εἰρύσαιτο τούτεστι μὴ οὐ φυλάξοι .....

p. 212 sqq.) docte exposuit de particularum *μή* et *μὴ οὐ* potestate et usu; viri doctissimi, quod sciam, aut acquiescunt in ista sententia aut veterum vestigia prementes alterutram praecipiunt redundare. Ego vero, si quis copiosius dixerit ea de quaestione, quoniam praeter Hermannum neminem novi, tanto libentius in hunc unum vires, si quae mihi suppetunt, convertam omnes. Hunc dico Hermannum, quem apud Vigerum audimus profitentem, se alio, quo facto sit modo in dissertat. illa hanc rem explicare esse adgressurum.

Atque sic fere disputationem suam instituit vir excellentissimus. Namque eorum, quae spectanda sunt h. l. verborum genus est duplex. Alterum est finem affirmativum negantium e. g. *οὐ φημί*, *ἀδύνατός εἰμι*, *οὐχ οἷόστ' εἰμι* sim.; alterum finem negativum indicantium, cuiusmodi sunt *δεδοικέναι*, *εὐλαβεῖσθαι* al. al. Haec autem, quae ultima posui, sive cum indicativo sociantur, sive cum conjunct. vel optativo, adsciscunt nunc simplicem *μή*, nunc duplicem negationem *μὴ οὐ*, ita ut illa sit suspicantis esse id, de quo usurpatur; *μὴ οὐ*, ut contrarium indicent. Sed ponitur etiam post illa infinitivus modus nunc omissa, nunc posita negatione, nunc *μή*, nunc *μὴ οὐ* collocata. Ac primum quidem quoniam *μή* eam, cujus est orationis partem negat; (i. e. tollit, quae cogitantis est notionem) consequitur, infinitivum cum *μή* junctum contrarium esse ejus, qui solus cum verbo collocatur. Nec tamen semper sic postulat ratio et usus, nec quovis loco. Graeci enim, quasi obliti essent, negationem jam verbo ipso contineri, addunt ii particulam negantem, quo fit, ut e. c. *δέδοικα μὴ θανεῖν* alias sit oppositum *τῷ δέδοικα θανεῖν*, alias eodem redeat. Quod si alterum fit, obtinet eadem ratio inter *δέδοικα μὴ οὐ θανεῖν* atque *δέδοικα μὴ θανεῖν*, nimirum quod idem valeat ac *δέδοικα θανεῖν*, quam patet esse licet diversa ratione inter *δέδοικα μὴ θανεῖν* et *δέδοικα θανεῖν*. Sed, etiamsi dixerimus, non raro idem significare haec: *δέδ. θανεῖν* et *δέδ. μὴ θανεῖν* interest tamen, utrum negationem addideris, an vero omiseris. Illud enim quum feceris est plerumque suspicantis, non esse id, quod infinit. continetur; sin hoc, contrarium indicabis. Denique hoc maxime inter *μὴ οὐ* et simplex *μή* interest, quod illud quidem dubitationem quandam significat, hoc vero usurpatur, cum generatim dicimus certamque sententiam exprimimus. Nihil vero distat, ubi verbis negativum finem indicantibus aut directe praemittitur *οὐ*, aut tectior est ea negatio in interrogatione. Infinitivum autem usurpant Graeci sine negatione ponendum, ubi simpliciter rem ita se habere significatur; cum

solo μή, ubi cum gravitate quadam res affirmatur; cum duplici negatione μὴ οὐ ubi dubitantius loquimur.

Deinde quod ad alterum attinet genus verborum finem affirmativum negantium non habet quidem in illis locum μή illud, quod abundare videatur; eadem vero est ratio et usus negantium, quae infinitivo addantur, μή et μὴ οὐ. Quarum vocularum priore utuntur sensu graviori, altera, ut ambigua sit magisque dubia.

Denique particula μή, ubicunque comes additur vel participio vel nomini, Latinorum est si non, quod est sumentis quid ut certo negatum, μὴ οὐχί nisi, quod est dubitantis.

Sed narrandi nunc finem faciam. Quae contra hunc virum doctissimum disputanda videantur, sunt fere haec. Primum quidem quod Hermannus statuit duo omnino esse verborum, quae h. l. consideranda sint, genera, alterum negativum finem indicantia, alterum affirmativum finem negantia, in eo, si quid video, quod bipartito distribuit, sapienter fecit; neque vero satis acute, si verborum naturam ac significatum spectes.

Etenim si verba haec: δεδοικέναι, εὐλαβεῖσθαι, ἀρνεῖσθαι et centena alia ob id ipsum viro doctissimo vocantur finem negativum indicantia, quod eo spectant, ut quid non fiat i. e. ni perperam interpretor verba, quod actiones significant, quae aut caveant aliquid ne fiat aut efficiant, ut quid non fiat; contra, si finem affirmativum negantium haec est natura, ut efficiant aliquid, consequens est, omnes, quae sint verbis illis subjectae, enunciationes esse finales, utpote quae eadem contineantur cum primariis sententiis communione, quam inter causas atque effectus videmus esse. Quae ratio num quibusvis locis possit probari videant me acutiores! Accedit, quod hac semel admissa, id quoque efficitur, ut quicquid per infinitivum dixeris, redeat hoc eodem, quo vel tempus finitum, nulla amplius horum obtinente discrepantia. Quantumvis vero ipse Hermannus in ea sententia sit, ut nihil interesse opinetur inter δέδοικα μὴ θανεῖν et δέδοικα μὴ θάνω (cf. Vig. p. 798 sup.) equidem tamen multum referre contendo, utrum infinitivo utamur an vero tempore finito. Tum velim mihi respondeat vir doctissimus, quid sit, quod haec verba, quae finem affirmativum negantia appellavit, nunquam reperimus cum finito tempore, semper cum infinitivo conjuncta? At licet non in animum inducamus, omnino negare, verba haec: δεδοικέναι, ἐρύκειν, ἀμύνειν, κωλύειν, φοβεῖσθαι, φυλάττεσθαι, εἴργειν,

φεύγειν, *ἔχειν* ejusque composita saepenumero eam naturam induere, ut vere indicent finem negativum, quoniam, qui metuit aliquid vel defendit a se et arcet, is non optat solum, sed etiam efficere conatur, ut quid non fiat; tamen nec omnia illum habent sensum nec quaque in cogitationum serie et nexu. An quaeso finem per se indicant verba *ἀρνεῖσθαι*, *κίνδυνός ἐστι*, *αἰσχύνεσθαι* sim.? Quid? quod finis consiliumque aliquid vel adsequendi vel vitandi quam longissime abest non raro ab optatis!

Verum tamen accedunt haec. Verba enim, quae affirmativum finem indicant, constat fieri verba affirmativum finem negantia, si quidem tollitur eorum notio aut ipsa negatione sive collocata (*οὐκ ἐνδέχεται*) sive in verbo latente (*αἰσχρὸν εἶναι*) aut *α* privativo praemisso vel syllaba *δυς* al. (*ἀδύνατός εἰμι*, *δύσελπίς εἰμι*). Quibus positis quonam tandem modo de his cum animo statuit Hermannus, cujusmodi sunt: *οὐκ ἀτιμάζω*, *οὐκ αἰσχρόν ἐστι*, *οὐκ ἀπιστῶ*, *οὐκ ἀμφισβητῶ* al.? Quae quum vel sine negatione negent affirmativum finem, nunc addita illa, sunt vere haec verba finem affirmativum significantia; ex quibus novum nobis verborum genus enascitur utrique illi subjiciendum. Ad hanc rem illustrandam exemplo utar. Haec enim: „mortem ipsum sibi consciscere est insipientis" et quod eodem sensu dixeris: „vitae suae consulere est sapientis viri, quum graece ita sonent: *ἑαυτὸν ἀποκτιννύναι ἄλογόν ἐστι*, et *ἑαυτὸν μὴ ἀποκτιννύναι οὐκ ἄλογον*, quorum igitur contrarium illud eodem sermone recte interpreteris his verbis: „*ἑαυτὸν ἀποκτιννύναι οὐκ ἄλογον* et *ἑαυτὸν μὴ ἀποκτ. ἄλογον*; consequitur primum: verba finem affirmativum negantia, (*ἄλογόν ἐστι*) quibus continuetur infinitivus sine negatione (*ἀποκτ. ἑαυτόν*) nihil aliud significare, quam quod eadem verba, ut dicam, negata (*οὐκ ἄλογόν ἐστι*), quibus infinitivus adtribuatur negatione amplificatus; (*μὴ ἀποκτ. ἑαυτόν*) deinde: haec sine omni negatione infinitivo juncta (*ἑαυτὸν ἀποκτ. οὐκ. ἄλογον*) eodem redire, quo verba finem affirmativum negantia, quibus accedat infinitivus cum *μή*. (*ἑαυτὸν μὴ ἀποκτ. ἄλογον.*) Jam vero, quum intersit inter *μή* et *μὴ οὔ*, quibuscum quaeso componas hujuscemodi: *ἑαυτὸν μὴ οὐκ ἀποκτ. ἄλογον*? Cave autem ne cum *ἑαυτὸν μὴ ἀποκτ. οὐκ ἄλ.*, quod est huic contrarium, quoniam id cum *ἑαυτὸν ἀποκτ. ἄλογον* vidimus convenire. Denique meo quidem arbitrio praeter alia imprimis sunt composita cum praepositionibus *ἀπό*, *ἐκ*, *ἐπί*, *ἀντί*, *ἀνά*, *παρά*, quae satius est verbis finem affirmativum negantibus adnumerare. Quin imo quisque mihi

concedat necesse est etiam hoc, quod totius orationis conformatione mutata variatur quoque significatio singulorum, cujus rei luculentissimum documentum praebent ἐάω, ἐλπίζω, ἐννοῶ, φυλάσσειν al. nunc sinere (permittere), sperare, cogitare, custodire, nunc, prout sententia fuerit comparata, omittere, metuere, dubitare, cavere sibi, significantia.[2]) Hanc igitur doctrinam neque sibi constare neque rem exhaurire satis puto demonstratum.

Quae quum ita sint, quid quaeso impedit, quominus dimissa hac Hermanniana verborum descriptione aliam rationem eamque et veriorem et simpliciorem ineamus. Omnium autem verborum, quibus Graeci sive infinitivum et participium sive tempus finitum (i. e. Indic. Conj. Optat.) adjungere solent aut simplicem μή, aut duplicem negationem μὴ οὐ sunt duo genera, quorum alterum continet rei negationem, alterum affirmationem rei. Neque pertinent tantum ad illa, quibus jam propter significationem negatio inest, cujusmodi sunt ἀρνεῖσθαι, ὀκνεῖν, ἐρύκειν, φοβεῖσθαι, εἴργειν al.; sed etiam quorum vis affirmativa negatione tollitur sive verbis praeposita, sive latente in α privat. e. g. οὐ δύναμαι, ἀδύνατος, οὐχ οἷός τ' εἰμι, οὐκ ἔχω, quorum videlicet alterum illud objectivam designat potestatem, hoc subjectivam i. e. facultatem rei efficiendae, ἄλογόν ἐστι, οὐ δίκαιόν ἐστι cet. cet. A quibus deinceps sic differunt reliqua per se quidem negativam potestatem significantia, ut negatione addita sensus eorum negativus tollatur, quo fit, ut verba efficiantur vere affirmativa e. g. οὐ δειμαίνω, οὐ κωλύω, οὐκ ἐλέγχω, οὐκ ἐμποδών ἐστι, οὐκ ἀποτρέπω

---

[2]) cf. Lob. ad Phryn. p. 363. Heind. ad Gorg. p. 50. 323. Passov. in Lexic. gr. s. v., ubi vellem virum doctissimum omisisse additamentum hoc: „und nur bei Spätern." Quid vero, si quis e. g. Herodot. 5, 92, 1. νῦν δὲ αὐτοὶ ἄπειροι ἐόντες τυράννων καὶ φυλάσσοντες δεινότατα τοῦτο ἐν τῇ Σπάρτῃ μὴ γενέσθαι, παραχρᾶσθε ἐς τοὺς συμμάχους participium φυλ. non cum τοῦτο construendum esse censeat, sed pertinere ratus accusativum subjecti, quem vocant, ad inf. μὴ γενέσθαι? Equidem custodiam agimus alicujus rei, quam nobis aut conservandam esse putamus propter utilitatem aut propulsandam propter incommoda i. e. a qua nobis cavemus. Quamvis enim in activo verbo prima ratio habeatur objecti τοῦτο, tamen, quid obstat, quin, quod ex ipsa oratione elucescit, etiam personae objectum, cui quidem nos rem cavebimus, inesse verbo activo intelligamus. — Verum quod Buttm. dixit. gr. §. 122, 5. φοβοῦμαι esse pro φοβῶ με in eo profecto errat V. Cl. Aliud enim est subjectum in φοβοῦμαι, aliud in φοβῶ με (ἐμαυτόν.) —

cet. cet. Nam quod Hermannus judicat, *ἀρνοῦμαι* esse verbum finem negativum indicans, quum nihil indicet aliud, quam quod affirmativum negans *οὐχ ὁμολογῶ*; illud est utrumque simul, tum negativum finem significans pro singulari sua forma, tum affirmativum negans pro sententia. At vero proprium est horum et commune, ut sensum verbi affirmantem negent.

Haec fere habui, quae de ratione verborum dividendorum dicerem. Accedam nunc ad reliqua. Ac primum quidem considerantibus nobis verba negativae potestatis haec tenenda sunt. Aut enim sine negatione infinitivus, qui subjectus est, ponitur, aut cum *μή* sociatur. Atque primam rationem nostra quoque cum Graeca lingua communicat. Sed tamen secus est in altera. Namque verbum, cujus infinitivus particulam negantem additam habet, aut ajentis potestatis est negatione sublatae, (*οὐ δύναμαι*) aut proprie negativae potestatis. Illud si fit eadem apud nos negatio manet; sin hoc, aut amittitur nobis vis negationis, ubi, quod per infinitivum et *μή* dicitur verbis quidem non re discrepat ab infinitivo sine *μή*; aut peculiarem suam potestatem servat, ubi infinitivus cum *μή* junctus diversissimus est ab altero sine *μή*. Quibus positis considera mihi haec. Namque *ἀρνεῖται τοῦτο ποιῆσαι* i. e. negat se hoc fecisse, quod ad sententiam attinet, idem est cum *οὐχ ὁμολογεῖ τοῦτο ποιῆσαι* i. e. non concedit, se hoc fecisse. Sequitur *ἀρνεῖται μὴ ποιῆσαι τοῦτο* i. e. *οὐχ ὁμολογεῖ μὴ π. τ.* significare: negat, se non fecisse hoc (i. e. non concedit, se non fec. hoc i. e. negat, se praetermisse hoc) i. e. concedit se hoc fecisse. Deinde quum *ἀρνοῦμαι μὴ π. τ.* idem esse certe videatur, quod *ἀρν. τ. π.*, equidem non nescius, negationem propriam suam vim nunquam amittere, sensum esse existimo: *ἀρνοῦμαι καὶ ὁμολογῶ (ὁμολογῶν) μὴ π. τοῦτο.* Eodemque modo intelligendum est *δέδοικα θανεῖν*, metuo mori, ut proprie sit (*ἀπεύχομαι*) *οὐκ ἐπιποθῶ θανεῖν*; h. vero: *δέδ. μὴ θ.* vim suam communicet cum *οὐκ ἐπιποθῶ μὴ θ.* (i. e. *δέδ. καὶ οὐκ ἐπιποθῶ μὴ θ.*). Quod si verum est, sponte intelligitur, et falsissimos esse, qui negationem in verbis, quae metum significant, exstingui autumant, neque me cum Hermanno facere posse, qui ita disserit: „Sed, quoniam usitatum est Graecis post verba finem negativum indicantia repetere negationem, quasi si obliti essent, eam jam verbo ipso contineri, factum est, ut etiam dicerent: *δέδοικα μὴ θανεῖν* id, ut idem significaret, quod *δέδοικα μὴ θάνω* i. e. *δέδ. θανεῖν* metuo mori." Etenim ut omittam, quod modo dixi, ipsum *μή* non ad *δέδοικα* referendum esse, sed

sed ad illud, quod reticetur, ἐπιποθῶ, interest etiam inter δέδοικα θανεῖν et δέδοικα μὴ θανεῖν metuo mori.[3]) Quid enim? si quis metuit, ne moriatur, is aut precatur sibi vitae incolumitatem, aut detestatur ante omnia mortem: er wünscht entweder, daß er nicht sterbe; oder er wünscht nicht, daß er sterbe.[4]) Atque altera dicendi formula utitur, cujus animus in hac una contemplatione totus defixus est, ut vivat; altera est mortem meditantis. Ut dicam, μὴ θανεῖν est, quod βιῶναι. Neque vero perperam haec et inconsultius a me disputata esse, cum ratio ipsa docet, tum ex illo discrimine colligi potest, quod obtinet inter μή et οὐ. Quo in explanando, quum semel huc delati simus, ducem sequor Hermannum, quem omnium in ea re accuratissimum esse omnes mecum consentiunt.[5]) Is autem: „οὐ, inquit, negat rem ipsam; μή cogitationem rei.

---

[3]) Non vereor, ne quis convincat me h. l. studii cujusdam ellipsεων temere concepti, quas scio fere nullas esse, dummodo justa accedat explicatio. Quin imo non alienam esse prae me fero hanc meam explicandi rationem ab Hermanniana illa ad Vig. p. 869 sqq. exposita; nec non cognatam esse huic notissimam illam verbi constructionem κελεύειν, quo saepenumero alius cujusdam significatio una comprehendatur, pro κελ. λέγειν s. εἰπεῖν; sicuti κελεύεσθαι πρός τινα pro κελ. ἰέναι πρ. τινα. cf. Passov. s. εἶ δ' ἄγε et Herm. ad Vig. p. 870. Atque consimilis est illi ἀρνοῦμαι μὴ π. τ. locus ap. Plaut. Mostel. Act. V. Sc. 1. vs. 33. „scio, jocaris nunc tu: nam ille quidem haud negat. Th. Imo edepol negat profecto: neque se has aedes Phil. vendidisse sc. dicit. Neque vero ad Horatianum hoc in animo est lectorem ablegare: „est brevitate opus, ut currat sententia neu se impediat verbis lassas onerantibus aures;" quamquam apertissimum est celeritate dicendi saepenumero verbum, quod cogitatione comprehenditur, omissum esse; neque ad ipsum Hermannum, qui „multa sunt, inquit, in omnibus linguis, quae quotidianae vitae negligentia etiam contra linguae naturam in usum venerunt;" (Vig. p. 867) quibus omnibus hac in quaestione aequo animo supersedere possimus. Non possum tamen, quin tironum gratia h. l. adscribam ex Athenaeo T. 1. fasc. 1. haec Güntheri V. Cel. „Jede Construction beruht auf einer besonderen Ansicht von dem Verhältniß und dem Sinne desjenigen Satzes, in welchem sie gebraucht wird." Postremo satis constat, saepius ex enunciatis negantibus vocabulum aliquod repetendum esse, quod affirmationem comprehendat. cf. Thuc. 5, 29. ἐς ὑποψίαν καθίστη — δίκαιον γὰρ εἶναι sc. νομίζοντες.

[4]) „Die deutsche Sprache berücksichtigt bei den Wörtern fürchten den Gegenstand der Furcht; die alten Sprachen nicht sowol den Gegenstand der Furcht, als den des Wunsches, der in jeder Furcht enthalten ist." Hess. Anleit. p. 131. Quae verba quomodo ad infinitiv. δέδοικα θανεῖν possint accommodari, judicium esto penes intelligentiores!

[5]) Erant, qui dicerent, οὐ negantis esse, μή vetantis; quod quam sit et logica ratione

Hinc fit, ut *οὔ* absolute dicatur, nec pendeat ex alio vel addito vel intellecto verbo; *μή* contra non aliter dicitur, nisi aut addito aut intellecto verbo, quo cogitatio, suscipio, voluntas significetur." — Quicquid enim non exstat, aut reapse non est, aut cogitamus tantum, quacunque de causa, rem vere non esse. — Quorum alterum, quo objectivam veritatem dicunt contineri, exprimitur per *οὔ*, ad alterum indicandum, quod in sola cogitatione vertitur, adhibent particulam *μή*. Qui dicit: *οἱ διδάσκαλοι τῶν παίδων τοὺς μὲν τιμῶσι, τοὺς δὲ οὔ* sc. *τιμῶσι;* is indicat, rem (*τὸ τιμᾶν*) in aliis esse, in aliis reapse non esse discipulis. Non enim rei cogitationem vel notionem, sed istis verbis ipsam rem aut affirmamus, aut negamus. Quodsi *μή* substituis particulae *οὔ* — *κολάζουσι δὲ καὶ τοὺς μὴ πειθομένους* — negatio ad solam notionem verbi *πειθομένους* pertinet, non ad ipsam rem *τὸ κολάζειν*. Manet autem sententia, quae affirmat; nec nisi pars quaedam negatur. Negatur autem, quae in cogitatione est notio; non rei, quae extra cogitationem posita est. Ergo *μὴ πειθομένους* nihil aliud significat, quam quod *ἀπειθεῖς; ἡ μὴ διάλυσις* est, quod *ἡ τῶν γεφυρῶν διατήρησις* cet. Passovius igitur, quum in Lexico Gr. s. *οὔ* (b) negationem cum substantivo collocatam unum totum efficere affirmat, idem debebat affirmare de subjectiva *μή*.[6]) Neque video equidem aliquid interesse,

---

destitutum et grammatica sponte quispiam intelliget. Peritiores multo alii *μή* dicebant, negare partem *οὔ* totum. (cf. Buttm. gr. gr. §. 135. 2. h.) Attamen cavete, ne ejusmodi collocationem „*ἡ οὐ διάλυσις*" (Thuc. 1, 137.) linguae legibus repugnare existimetis. cf. Buttm. §. 135. N. 3. Herm. ad Vig. p. 804.

[6]) Coll. Gregor. Cor. p. 89. Adversari videntur Buttm. §. 135, 2. b. „Hom. Il. 24, 296. Apoll. Rhod. 1, 904" (cf. Herm. ad Vig. p. 833.) quibus locis addere liceat Thuc. 1, 121. Neque vero in his *οὔ* est pro *μή* positum, neque cum Hermanno dixerim: arctissime conjungi cum verbo aliquo sequenti debere, ita ut cum hoc verbo conjunctum unam notionem constituat. Quod si esset equidem puto *μή* locum habere. Verum sunt verba accipienda pro: *εἰ δὲ (οὕτως ἔχει, ὅτι) οὐ δώσει* cet; nisi apud Thucyd. malueris *εἰ* interpretari per *ὅτι*, quod *δεινὸν ἂν εἴη* (*θαυμάζοιμ' ἄν?*) sit verbum affect. animi significativum. Quae quidem ratio num commode probari possit dubito; [multo est verosimilius, ut *εἰ* ex vulgari loquendi usu valeat *ἐπεί*.] neque Herm. praeceptum (Vig. p. 805.), qui participium cum *μή* junctum putat ubique esse, „si quis sic ejusmodi" mihi est pro septentrione. Facile quidem quispiam mihi concedet Thucydidem (1, 68.) pro *διδασκαλίας ὡς οὐκ εἰδόσι προσέδει* scribere potuisse *οἷς μὴ εἰδόσι;* neque vero idem est locus cum Soph. OC. 1154. *δίδασκέ με — ὡς μὴ εἰδότ' αὐτὸν μηδέν, ὧν*

utrum substantivum an vero adjectivum vel participium cum particulis his arcte conjungas. Quod si haec vera sunt, sponte intelligitur δέδοικα μὴ θανεῖν i. e. opto — non mori idem esse, quod: opto vivere. Nam notione verbi θανεῖν negata, particula μή nihil aliud efficitur, quam ut cogitatione ponamus contrarium τοῦ θανεῖν i. e. βιῶναι. Quid? quod idem fecit Hermannus ad Vig. p. 808: haec verba: „ἄλλους μὲν δύνανται βλάψαι, ἐμὲ δὲ μή sic interpretatus: alios laedere possunt, me possunt — non laedere i. e. illaesum dimittere?" Neque enim aut subjectiva particula ponitur, ut posterius illud maneret pars propositionis, quo tanto errore lapsus est Hoogeveen (cf. doctrin. partic. gr. rec. Schütz. p. 497 sq.) aut objectiva οὐ locum habet, quod diversa essent ἀποκτεῖναι et βλάψαι in his verbis ap. Epictet. „Ἄνυτος καὶ Μέλιτος ἀποκτ. με δύνανται, βλάψαι δὲ οὔ; sed potius, quod absurdum est dicere: interficere me possunt, possunt vero me illaesum dimittere.[7]) Quaeritur autem, num sententia aliqua sit affirmans, an negans; quod nunc pluribus exsequi a consilio meo alienum duco. Redeo igitur, unde exorsus sum.

Nimirum, quod attinet ad ea verba, quae nobis ad sensum potestatis affirmativae vocantur, horum fere eadem est ratio. Etenim si ἀρνοῦμαι οὕτως εἶναι, idem denotat, quod οὐχ ὁμολογῶ οὕτ. εἶν., sequitur, οὐκ ἀρν. οὕτ. εἶναι significare non, quod ἀρν. οὕτ. εἶναι[8]; sed quod aut ὁμολογῶ οὕτ. εἶν. aut,

---

σὺ πυνθάνει. Atque ὡς οὐκ εἰδόσι est: qui re vera nesciant, Athenienses nova moliri; contra ὡς μὴ εἰδόσι non: quasi si nihil sciant, sed qui injuriarum ab Atheniensibus illatarum ignari cogitari deberent, tamquam ἄπειροι ὄντες τ. Ἀθηναίων ἀδικούντων.

7) cf. Herm. Vig. p. 805 sq. Egregie fallitur Schützius Lucian. in dial. Panop. et Galen sic interpretatus: „vidistin' Galene heri, qualia Eris patraverit inter coenam in Thessalia διότι μὴ καὶ αὐτὴ ἐκλήθη ἐς τὸ συμπόσιον; quod et ipsa vocata non erat" pro: quod esset; econtra in Toxar. T. 2. p. 523. ὁ δὲ ἄκαιρον εἶναι νομίσας ἐν τούτῳ ἀπομνημονεύειν τῷ Δεινίᾳ διότι οὐ προσίετο μόνον αὐτὸν τ. φίλων. „Ille vero intempestivum ratus eo tempore Diniae exprobrare, quod solum se ex amicis non admisisset vel admiserat. Scite Hermannus „διότι μή, inquit, adhibitum est ad significandam cogitationem Eridis, διότι οὐκ causam, quare Eris indignata esset, unde indicans." Verum tamen potest διότι οὐκ utrumque esse aut scriptoris aut Eridis.

8) Quod grammatici in universum praecipiunt, duas negationes, quae eodem continentur enunciato, aequare affirmationem, idem cadit in graecam linguam. Notio negativa ἀρνοῦμαι constat ex ajente ὁμολογῶ juncta cum negativa οὐ; ita ut nova, quae accedit, negatio οὐ priorem tollat, relicta sola totius parte affirmativa ὁμολογῶ.

quod idem valet, *ἀρνοῦμαι μὴ οὔτ. εἶν.* Contra *οὐκ ἀρν. μὴ οὔτ. εἶναι* unum et idem est aut cum *οὐκ ἀρν. καὶ οὐχ ὁμολογῶ μὴ* .... i. e. *ὁμολ. οὔτ. εἶναι*, id, ut eodem redeat, quo illud; aut cum *οὐκ ἀρν. μὴ οὔτ. εἶν.* ut contrarium sit *τοῦ ἀρν. οὔτ. εἶν.*, quod fieri nequit. Necesse est enim, primaria sententia relinquatur negativa. Sed progrediamur ulterius.

Vidimus enim, infinitivum, cui vocula *μὴ* est adjuncta, verbis negativae potestatis subsequentibus duplici modo explicari posse. Sed discrepat ratio, ubi ea, quae subjecta est, sententia in indicat. posita est, vel conjunct. vel optat. Nam *δέδοικα μὴ θάνω* nunquam significare et metuo, ne moriar, et metuo, ut moriar, etiam tirunculis notissima est res; sed prius tantum indicat. Quo fit, ut contrarium sit *δέδοικα μὴ οὐ θάνω.* Accedit, quod *δέδ. μὴ θάνω*, nisi quis in vitae discrimine aut versetur aut incidisse in mortis periculum sibi videatur non potest unquam dici. Abstinet igitur ab ea dictione, qui aut vere abest a morte, aut abesse se a morte opinatur. Sed prope idem in infinitivo discrimen animadverti Hermannus affirmat. Is autem sententiam suam aperit sic: „*δέδοικα θανεῖν*, metuo mori, dici potest etiam non imminente mortis periculo. Eodemque modo intelligendum est hoc *δέδοικα μὴ θανεῖν*, metuo non mori, in quo nulla est instantis mortis significatio. Ab eo alterum illud *δέδ. μὴ θανεῖν* metuo mori sic differt, ut eo simul imminere mortem indicetur, quum idem est ac *δέδοικα μὴ θάνω.*" At vero tantum abest, ut certam habeamus hanc Hermanni sententiam, utpote qua norma utamur et regula, ut eam incertam esse atque levissimam unusquisque sua sponte intelligat. Quid enim? Nonne satis superque vir summus indicat istis verbis: „*δέδοικα θανεῖν* — etiam non imminente mortis periculo," etiam confundi apud scriptores haec duo: *δέδοικα θ.* et *δέδ. μὴ θανεῖν*? Quod si fieri potest, quis quaeso fructus percipiatur tironibus ex ista definitione? Nam Cyro Xenophonteo sic dicente: *ὥρα δὴ ἀπαντᾶν καὶ μήτε τοῖς πολεμίοις δοκεῖν μήτε τοῖς ἡμετέροις φοβουμένους μὴ ἀντιπροσιέναι* verum quidem est, metum ne hostibus obviam irent, institisse militibus, sed poterat tamen et monente Hermanno et salvo verborum sensu negatio ante infinitivum omitti. Atque, ne id, quod cadit in hunc unum locum, de omnibus dicam, at convenit idem in alia ejusdem generis plura. cf. Plat. Charmid. p. 155. D. Eurip. Heracl. 965. Thuc. 3, 1. 5, 49. Theogn. 1134. Xen. Anab. 4, 8, 14. 6, 2, 24. hist. gr. 1, 7, 32. al. — Quocirca persuasum mihi est, nisi ex tota sententiarum collocatione non posse

definiri, num quis metuat aut instante aut nullo imminente periculo. Neque dubito equidem asseverare, perpauca esse loca, quibus in locis post verba metus significativa infinitivus cum μή inveniatur; adeo ut omni ex parte praeponderare infinitivum ducam nulla cum negatione sociatum.[9])

---

[9]) Nam ut in mea audacia, si diis placet, obstupescas, equidem non possum, quin, quae jam dudum mihi animum transvolaverit, proloquar cogitationem. Pertinet autem ad Grammaticorum praeceptionem, qui φοβεῖσθαι, δεδιέναι, ὀῤῥωδεῖν, εὐλαβεῖσθαι, ὀκνεῖν al., quum significent „cunctari, dubitare, vereri cet" cum nudo inf. collocari volunt; quatenus insit ipsis notio timendi cum μή. Nec non diu putavi verum esse Matthiani V. C. sic fere disputantem in gr. gr. §. 503. Not. 2. (coll. intpt. ad Gregor. Cor. p. 103.): rarius negationem post verba timendi et prohibendi omitti. Nunc vero, quod jam dudum suspicari coeperam, contrariam sententiam amplector. Atque primum, ut lectores videant ea verba etiam solo in inf. notionem timendi habere, ipsi legant haec: Hom. Jl. 7, 93. 14, 342. Od. 5, 347. 8, 563. Soph. Phil. 94. OR. 616. Eur. Jon. 1564. 628. Hec. 756. Dan, 24. Or. 543. Supplic. 554. Thuc. 6, 61. Plat. Phaedo p. 68. E. Xen. Mem. 3, 7, 1. Cyrop. 6, 1, 32. Teocr. Id. κξ 28. 30. Apollon. Argon. 3, 479. Theogn. 742. 797. Plut. Philop. 18. Arat. 51. Ages. 39. Romul 3. Otho. 9. Camill. 7. Lysias c. Agor. 462. Lucian. Saturn. §. 5. ed. Schmied. cet. cet. cet.

Deinde, quae adversentur Matthiae aliisque artis nostrae principibus, vide sis praeter illa haec. δεδιέναι: Thuc. 1, 136. ὀκνεῖν: Hom. Jl. 5, 265. Xen. hist. gr. 6, 4, 36. Anab. 1, 3, 17. Eurip. Alc. 178. Heraclid. 247. Phoen. 1015. Lucian. Somn. §. 16. p. Imag. §. 16. 20. Toxar. 63. Jup. Trag. 32. Somn. 2. Hipp. 4. Hercul. 3. Somn. 18., ubi αἰσχύνεσθαι et ὀκνεῖν synonyma sunt; Hermotim. 86. Jup. confut. 6. Trag. 14. Parasit. 3. Deor. Concil. 3. Prometh. 21. Plat. Lys. p. 204. C. 207. A. ubi ἀπορεῖν et ὀκνεῖν leguntur; Xen. Oecon., sive quis alius est auctor Oecon.; 16, 7. Plut. Camill. 22. Pericl. 10. Polyb. 1, 81. — Sed innumera ferme est locorum multitudo de v. κωλύω, ejusque compos., etsi ap. Frotscher. obsv. critic. p. 22. occurrunt haec: „sed sunt paene rariores loci, ubi negatio omittitur. Ita deest post ἀποκωλ. ap. Plat. Theaet. 150. C. cet." At vide, si tanti, Xen. Anab. 4, 3, 3. 7, 3. 5, 7, 10. hist. gr. 5, 1, 28. Oecon. 1, 18. 20. Mem. 1, 6, 6. Thuc. 7, 32. 6, 98. 6, 80. 1, 142. 27. Xen. Venat. 7, 9. Plat. Phaedo p. 61. A. Apol. Socrat. 39. E. Phaedo p. 77. B. p. 88. A. Demosth. p. Cor. p. 255, 1. 257, 5. Xen. Cyr. 6, 2, 18. Rpbl. Laced. 14, 6. Soph. Phil. 1225. Eur. Hec. 147. Alc. 919. Iphig. Taur. 507. Androm. 44. Iphig. Aul. 1428. Diodor Sic., apud quem, nisi omnia me fallunt, ne semel quidem reperias inf. c. μή: 16, 38. 11, 27. 12, 16. 47. 13, 80. 14, 17. 56. 18, 66. 20, 19. 3, 20. cet. cet. Polyb. 5, 4. Plat. Cratyl. p. 348. B. Lys. p. 207. E. p. 209. B. Phaedo p. 108. E. sympos. p. 27, 27. (ed. Dindorf.) Charmid p. 163. A. 164. A. Aristot. Polit. 2, 7. Aristophan. Plut. 623. Nub. 1450. Lucian Prometh. 18.

Hoc equidem satis bene scio, *δέδοικα μὴ θανεῖν* nunquam fuisse, quod *δέδοικα μὴ θάνω*.

Iam progrediar ad ea exempla dispicienda, in quibus Infinitivum dicunt commutari cum tempore finito. Atque, ut ordine disputatio mea procedat, priusquam dicere adgrediar, quando infinitivo Graeci utantur, quando finito tempore, primo loco de utriusque dictionis natura et proprietate dicendum est. — Utrum infinitivus inter modos recte numeretur, an non discrepant viri docti. Verum enim vero dummodo, quid et quale sit modus, inter nos constet; merito quoque infinitivum ad modorum notationem trahi posse asseverare non dubito. Modus enim, qui vocatur, rationem indicat, qua quis esse aliquid,

---

19. Hermotim. 81. Zeux. 1. Somn. 8. Philops. 10. Jup. trag. 21. Bis accus. 20. rhet. praec. 26. Bacch. 1. Toxar. 5. cet. Lysias in Eratosth. p. 397. Aeschin. de fals. legat. ab init. p. 65. ed Weig. ib. p. 98. Plut. Them. 21. 25. Pericl. 30. 39. Timol. 16. 28. Cleom. 21. Arat. 37. Oth. 17. Lycurg. 12. 22. 27. Galb. 8. cet. cet. *ἐρύκω*: Apoll. Argon. 1, 346. 3, 682. 2, 336. Theogn. 1157. Eur. Heracl. 691. Herc. Fur. 317. — *φυλάττεσθαι* Xen. Cyrop. 4, 2, 25. Mem. 1, 5, 3. — *εἴργω*. Eur. Hec. 855. Jon. 173. Diod. Sic. 13, 19. 14, 53. Soph. OT. 128. — *αἰσχύνεσθαι*. Xen. Cyr. 5, 1, 20. Eur. Hec. 552. 968. Or. 98. Phön. 513. Iphig. Aul. 1341. Supplic. 913. Plat. Phaedr. p. 257. D. Phaedo p. 85. D. Lucian. Somn. 18. — *φεύγω* Hdt. 2, 91. 4, 76. Xen. Mem. 4, 2, 26. Plut. Sol. 14. Eur. Herc. Fur. 1074. — *ἅζομαι*: Apoll. Arg. 4, 250. Eur. Heracl. 600. Alc. 327. Hom. Od. 9, 479. — *φοβεῖσθαι*: Dior. Sic. 12, 46. — *κίνδυνος ἦν*. Xen. hist. gr. 4, 2, 18. Eur. Hec. 5. Lysias c. Agorat. p. 462. Xen. Anab. 5, 1, 6. 2, 5, 17. Mem. 5, 12, 7. Plut. Pyrrh. 15. — *εὐλαβεῖσθαι*, Eur. Or. 783. Diod. Sic. 15, 32. Plat. Phaedo p. 101. C. Diod. 14, 68. *ἀπεννέπω* Eur. Med. 809. Herachd. 556. — *ἀμφισβητεῖν* Aesch. de fals. legat. p. 101. ed Weig. ima pag. *ἀποτρέπω* Eur. Or. 411. — *φείδεσθαι* Eur. Or. 387. *ἀπαγορεύω* Plut. Artax. 5. *ἐπέχω* Eur. Iphig. T. 911. *ἐναντιοῦσθαι* Plat. Apol. Socr. 19. cet. cet. cet. Non attinet rei ubique obviae plura afferre exempla, quibus ostenderem, Graecos non ita raro post verba per se negationem rei continentia nudum infinit. usurpasse; adeo ut, nisi altius res repetatur, non possit unquam exemplis comprobare, qua ratione liceat *μή* infinit. jungere, qua non jungere. Nec tamen temperare mihi possum, quin h. l. adscribam, quae sapientissime Ribbeck. V. Cl. animadvertit in libro, qui inscribitur: Jahrbuch der Berl. Gesellschaft für deutsche Spr. 1 p. 36. „Diese Redeweise steht für jene andere, ist eine nicht zu vermeidende, nothwendig überall wiederkehrende Erklärungsformel beim Studium der Sprachen; aber es genügt nicht, die Gleichung hinzustellen, sie will entwickelt, die Möglichkeit der Gleichstellung erwiesen und in Verhältnissen zu gleichartigen Fällen der Einzelne dargestellt sein.

significat. Igitur infinitivus, quo nihil nisi ipsa res indicatur, vel, ut ita dicam, nuda verbi cujusque notio conjuncta cum temporis et generis significatione, merito refertur in modorum numero. Quare Apollon. Dysc. lib. 3, 13. s. fin. infinitivum vocat τὴν ἐλλιπεστέραν ἔγκλισιν. Sed quum duplex infinitivo vis sit et verbi et substantivi, recte infinitiv. dixeris substantivum verbale,[10]) certe eatenus, quatenus casum sui verbi regit; propterea, quod tempus et genus verborum comprehendit.[11]) Id quod idem, quem modo laudavi, grammaticus hisce verbis docet: (1, 8.) ἅπαξ γὰρ ἐκεῖνό ἐστι διαλαβεῖν ὡς πᾶν ἀπαρέμφατον ὄνομά ἐστι ῥηματικόν. Deinde infinitivus substantivum est abstractum, quod vocatur. Comprehenduntur enim ideae mente et cogitatione abstractae a singularibus rebus, notiones, quas dicunt, universales. Denique quum plura sint horum abstractorum genera, hoc maxime interest inter infinitivum et ejus, quod attinet significatum, consimilia, quod illum quidem et temporis et generis notas continere diximus, caetera autem partim temporis, partim etiam generis notatione carere contendimus.

Quibus positis hanc legem ferre, nedum imponere placet: „infinitivum post illa, de quibus agimus, verba nonnisi objecti instar esse, in cujus locum,

---

[10]) Priscian lib. 18 de ordinat. verbi. „Significat infinitum ipsam rem, quam continet verbum. Currere est enim cursus et scribere scriptum et legere lectio. — Cum enim dico: bonum est legere, nihil aliud significo, nisi bona est lectio. Itaque apud Graecos etiam articulis adjungitur infinitum, more nominum. — Igitur a constructione quoque vim rei verborum i. e. nominis, quod significat ipsam rem habere infinitum possumus dignoscere.

[11]) Quod ut adderem, movit me imprimis suspicio, ne quis existimaret tum nihil aliud mihi significare infinitivum, quam substantivum a verbo derivatum, tum me genus confundere cum specie, quod plura sint substant. verbal. genera. Infinitivum vero verum esse substantiv., jam jam ex illo potest colligi, quod passim ea, quae ἐξόχως vocari solent verbalia conjungi videmus cum verborum suorum casu, quamquam, quod sciam, non accusativum adsciscunt, sed ad remotius tantum pertinent personae objectum. — Praeter ea, quae Matth. laudavit exempla in gr. gr §. 396. [Hesiod. Theog. 93. Plat. Phileb. 219. Herodot. 7, 169. Eur. Phön. 948. Thuc. 1, 73. 6, 76. Plat. Alc. I. p. 30. Charmid. p 134. Legg. IX. p. 18. Aristot. Polit. 3. p. 473. E.] vide Plat. Cratyl. p. 433. B. δήλωμα συλλαβαῖς καὶ γράμμασι. Soph. Trach. 668. Plat. Eutyphr. p. 13. D. 14. D. Aeschyl. Pers. 521. Thuc. 4, 28. 5, 35. 1, 92. Aristoph. Nub. 305. Plat. Phaedo p. 88. C. al.

quamvis significatione variata, si quod est ejusdem notionis substantivum subrogari possit." [cf. Buttm. §. 104. c. 7. b.] Atque hanc ipsam esse Graecorum dicendi consuetudinem, ex his intelligitur exemplis. Sic ap. Plut. Philop. c. 18 legimus *δείσας ὁ Φιλοποίμην κυκλωθῆναι — ἀνεχώρει διὰ τόπων χαλεπῶν*; at c. 16. *ὥστε δείσαντες τὴν κύκλωσιν* cet. Ages. 39. *δείσας τὴν πολιορκίαν*. Pericl. 19. *δείσαντες αὐτοῦ τὴν ἐφόδον* Alc. 8. *ἐπιβουλὴν δεδοικώς*. Camill. 7. *ὀῤῥωδῶν τὸν ἀγῶνα*. Polyb. 1, 44. *κωλῦσαι τὸν ἐπίπλουν τῶν Κ*. cf. 2, 15. 3, 18.; ubi in substantiv. locum facile infinit. verborum immittas, quae ad definitum tempus collocata unam quasi notionem efficiant. Neque diversum est *ὠδίνειν τρομέω* Theocr. Id. *κζ* 28. 30 ab *ὠδίνας τρ.*; neque differt *ἀλλὰ τεκεῖν τρομέω* ab *τέκνωσιν τρ.* Eodemque sensu Plut. Pyrrh. 19. habet *Χάονας — δεδιότες καὶ τρέμοντες Πύῤῥον* (de v. *τρέμ.* cf. Eustath. ad Od. 6. vs. 77.) Cum *αἰδούμενος τὸ σὸν ὄμμα* (Eur. Herc. Fur. 1199) licebit comparare Helen. 563; pro *μέμψιν εὐλαβουμένη* Eur. Dan. 37. (coll. Alc. 1060) poterat esse *ψέγεσθαι εὐλαβ.* Neque distant Eur. Ion. 1026 ab Aeschyl. Eumenid. 601. Idem fere est, *ἐκβαλεῖν δάκρυ*, quod *δακρύων ἐκβολαί*. cf. Eur. Iph. Aul. 441. et Herc. fur. 742. coll. Lys. acc. Agor. p. 462. Plat. Apol. Socr. c. 17. init. *φοβηθεὶς ἢ θανατὸν ἢ ἄλλο ὁτιοῦν πρᾶγμα*. — Hom. Il. 24, 435. Od. 14, 145. 20, 343. 6, 121. Aeschyl. Ag. 1652. Eur. Or. 37. 546. Alc. 840. Jon. 179. Plat. Protag. p. 342. d. Xen. Cyrop. 3, 1, 9. — Plut. Philop. 18. Thuc. 6, 61. Plat. Phaedo p. 85. D. Xen. Cyr. 5, 5, 34. al. — Accedit, quod quam plurimis locis articulus verbis adjungitur. Vide Thuc. 6, 61. Soph. Phil. 1225. *ἔστιν τις, ἔστιν, ὅς σε κωλύσει τὸ δρᾶν*, ubi proxima verba *τί φῄς; τίς ἔσται μ' οὑπικωλύσων τάδε* omnem nobis dubitationem tollunt infinitivum objecti instar pendere ex verbo. Xen. Cyr. 4, 2, 25. Mem. 4, 2, 26. Plut. Alc. 2. Diod. Sic 14, 53. 17, 30. Xen. Hiero 8, 1. Plat. Lysis p. 205. A. Xen. Anab. 1, 6, 2. Soph. Phil. 118. Neque alienum est ab hoc loco illud Lucian. de domo §. 2. *δέει τοῦ μὴ ἂν δυνηθῆναι....* Antig. Soph. 438. sqq. Xen. Cyr. 2, 4, 23. Anab. 4, 8, 14. 1, 3, 2. 3, 5, 11. Plat. Phaedo p. 117. E. *οἷοίτε ἦσαν κατέχειν τὸ μὴ δακρύειν*, quorum verborum loco mox *οὐχ οἷοίτ' ἦσαν κατέχειν τὰ δάκρυα*. Aeschyl. Eum. 681. Diod. Sic. 11, 26. Hdt. 1, 86. Soph. Antig. 531. Hdt. 1, 105. Eur. Iph. A. 452. cf. Plut. Pericl. 11. *φόβον δὲ καὶ φρουρὰν τοῦ μὴ νεωτερίζειν τι....* Soph. OT. 1374. 1375. Aj. 96. Plat. Phileb. p. 13. Sophist. p. 235. b, ubi *τόδε γε* post interrogationem *τὸ ποῖον* est explicatum per *τὸ μὴ ἐκ τοῦ γένους εἶναι τοῦ τ. θαυματοποιῶν τις εἷς*.

Parmenid.

Parmenid. p. 147. A. Neque vero diversa est ratio locorum, quibus locis duplicem negationem reperimus. cf. Aesch. Eum. 902. Soph. Trach. 90. OT. 1232. Aesch. Prom. 786. Xen. hist. gr. 3, 3, 6. Arrh. Anab. 4, 23. cf. 2, 27. Quid vero? si quis Thuc. verba (3, 1.) καὶ τὸν πλεῖστον ὅμιλον τ. ψιλῶν εἶργον τὸ μὴ — κακουργεῖν solvat in καὶ — εἶργον κωλύοντες τὸ κακουργεῖν? — Sed erunt, qui dicant, plures exstare graecorum scriptorum loca, quibus continetur infin., articulo praepositivo τό praecedente, qui objecti casus a verbo finito non pendet. Velut Thuc. 3, 1. Aesch. Prom. 235. ἐξερυσάμην βροτοὺς, τὸ μὴ διαῤῥαισθέντας εἰς Ἅιδου μολεῖν· Xen. Vectig. 3, 7. Cyr. 7, 5, 42. 1, 6, 32. Plat. Rpbl. p. 354. Soph. Trach. 619. Antig. 541. Eur. Phön. 1191. al. His equidem respondeo: tantum abest, ut locis illis artic. superfluum esse censeam, ut ne cum Hermanno quidem faciam, qui eum (ad Soph. Aj. 114.) eadem potestate positum esse affirmat, qua alibi ὥστε conjungatur cum infinitivo. Verum enim vero optime monuit idem: „aut ad sequens aliquid refertur, aut ad praecedens;" adeo ut sit usus explicativus. Jam vero, quod ad illa, quae supra commemoravi, attinet loca, infinitiv. aut vere est objectum v. c. Xen. Cyr. 1, 6, 32. οὐκ ἀπείχοντο οὐδ' ἀπὸ τ. φίλων τὸ μὴ οὐχὶ πλεονεκτ. αὐτ. πειρᾶσθαι. Plat. Rpbl. p. 154. quia ἀπέχεσθαι potest quoque collocari c. accus. κατὰ τὸ σημαινόμενον, quod dicunt; aut est accus. absolute positus, ut vulgo loquuntur, terminum, quo actio tendat, definiens, ut (Thuc. 3, 1.) Aesch. Prom. 235. Trach. 619. Eur. Phön. 1191. Antig. S. 541., aut denique οὐ δύσελπίς εἰμι τὸ μὴ.... Xen. Vect. 3, 7. rationem communicat cum γνώμαν ἴδρις, καλὸς τὸ σῶμα simil.[12])

---

[12]) Et quoniam semel hunc locum attigi, addam etiam illud tanquam corollarium; in Soph. Antig. 263. praeter necessitatem vulgari lectioni palmam praereptam esse. Nam non hoc quaerendum est, utri praerogativa debeatur, etsi ex librorum testimoniis vulgaris lectio est longe certissima; nam quid est aliter hoc vulgo? sed quid rei ac sententiae conveniat, quid Sophoclem dixisse rationi sit consentaneum, hoc illud est, quod agitur. Igitur lege ἀλλ' ἔφευγε τὸ μὴ εἰδέναι, totius orationis tenore sic flagitante. Hoc autem dicit custos: unumquemque putabamus fecisse, nullum tamen manifesto, sed (sc. ἕκαστος, quod facile intelligitur ex οὐδείς) quisque declinabat i. e. declinare conabatur scientiam. cf. Hdt. 2, 91. 4, 76. Riem. in Lexic. gr. s. v. — Verum enim vero non improbabile est saepius in mente et voluntate scribentis positam esse ponendi vel omittendi articuli rationem. — Dissonant de articulo Hdt. 1, 290 et 3, 51.

Sed quod nonnulli opinantur, ὥστε particul. saepenumero otiosam esse et ad summam nihil interesse, utrum omittatur an adjiciatur infinitivo, in eo vehementer errant. Non enim temere additur, sed consulto ad vim sententiae augendam et ad orationis quasi nervos intendendos. cf. Herm. ad Vig. p. 949. Neque hoc est praetermittendum sententias ejusmodi communione plerumque teneri causarum atque effectuum. Atque cum indicativo particulam istam conjungunt, ubi utramque volunt esse sententiam perfectam et per se absolutam; cum infinit. autem, ubi aut alicui primariae enunciationis parti definiendae inservit enuntiatum relativum, aut est omnino tamquam cogitatum ex principali illa sententia aptum. cf. Xen. Anab. 7, 6, 22. 7, 3, 35. Thuc. 1, 129. 2, 40. 5, 14. Aristoph. Plut. 809. Pax. 333. Plat. Phaedo p. 103. E. al.[13]) —

His breviter expositis jam ad alteram quaestionis partem progrediar: quoad infinit: usus, ut uno verbo, quamvis minus probato, utar, substantivascens differat ab Indic. et Conj. et Optat. Sed repetam paullo ulterius. „Postremo loco — sunt autem haec Hermanni de Em. R. gr. gr. p. 204 sqq. — in conjugatione spectandi sunt modi, quibus indicatur, utrum aliquid vere fiat an fieri possit an denique fieri debeat." Duplex autem est ratio, qua quid aut esse aut fieri posse aut debere fieri dicitur, altera, quam philosophi vocant objectivam, altera, quam subjectivam dicunt. Ac primum quidem veritati utrique indicandae Graeci recte unam modo dicendi formulam destinaverunt; contra et possibilitati significandae et necessitati binas assignaverunt. Constat autem optativum significare, cogitari aliquid fieri posse; conjunctivum vero fieri aliquid posse per ipsarum rerum naturam et conditionem. Ex quo intelligitur, cur conjunctivus modus non nisi ita, ut ex alia vel verbis expressa vel animo suppressa pendeat sententia; optativus etiam nudus adhibeatur. Quamquam enim conjunctivus naturali quadam societate semper est cum veritate junctus, tamen ab loquentis animo illa, qua id, quod fieri potest, efficiatur, causa vere

---

13) Prudenter Schaef. ad Eur. Med. 1396. de liberrimo usu infinitiv.: „Tam frequens est hic infinit. usus, ut mirer, viros doctos pro notabili habuisse, magis etiam mirer, confugisse ad ellipsin partic. ὥστε, de qua Graeci in liberrimo usu infinit. ne per somnium quidem cogitarunt;" quibuscum contendantur verba Herzog. V. D. ad Caes. de b. G. p. 202. Addam ad extremum hoc: Rostii V. Cel. praescriptum (cf. Passov. in Lexic. gr. s. ὥστε) rem ad liquidum confessumque nullo pacto perducere, sed de singulis dicere infinitum foret.

exstans remota est. Penitus autem in medio relinquitur, quantum quisque statuere velit, utrum, quod dixerit, ipsa rei natura fieri an non fieri existimet. Ita relinquitur oratio necessario apta ex alia sive posita, sive cogitata enuntiatione. Denique, ut et hoc addam, necessitati objectivae indicandae inservit adjectiv. verbale in *τέον*; ad subjectivam significandam Graeci imperativum modum adhibere consuerunt.

Quibus propositis Indicativum post verba negativae potestatis usurpari contendo, ubi quid aut esse aut re vera non esse significetur. Qua in re hoc velim teneant tirones, illa verba, sive diserta sint posita sive intelligenda, proprie esse metus significativa; namque reliqua, nisi sententia finalis transitiva sit, non adsciscunt *μή* in his objectivis. Velut Hom. Od. 5, 300: *δείδω, μὴ δὴ πάντα θεὰ νημερτέα εἶπεν* (cf. 203 sqq.) Lucian. Demosth. Encom. §. 37. Piscat. 15.[14]) Thuc. 3, 53. Plat. Phaedo p. 84. e. Lys. p. 218. d. Eur. Helen. 118. — Quicquid autem ita metuimus, ut verum certumque esse judicemus, id, quum eo tempore, quo exstare cogitamus, non possit tunc demum fieri, sequitur, aut praeteriisse jam aut instare adhuc. Quare nunquam indicat. praes. reperitur (sed vide not.); sed aut praeteriti, aut futuri; v. c. ap. Aristoph. Eccles. 510. Plat. Rep. V. p. 451. a. Cratyl. p. 393. c., ubi temere Heind. conjunctiv. recepit. Plat. Phileb. p. 13. — Mihi quidem arridet indicat., qui multo nervosior et ad sensum orationis accommodatior est in Electr. Soph. 991. (v. Herm.) Theocr. Id. *κζ'*. 21.; neque esse puto, quod veterem lectionem contemnant ap. Polyb. 30, 10. *πρῶτον μὲν εὐλαβούμενοι τοὺς Ἀχαιοὺς, μή ποτ' οὐ πειθαρχήσουσι τοῖς γραφομένοις, ἀλλὰ καὶ κινδυνεύσουσιν οἱ περὶ τὸν Κ.* coll. lib. 26, 1 sqq. Sed quod dixi, indicat. praes. cum vocula *μή* conjunctum, verbis timendi praecedentibus, non occurrere, non improbant haec loca: Eur. Phön. 91. Lucian. Hermotim. §. 56. Neque enim cum Thiersch. (gr. gr. §. 339. 7. Not.) ea malim de interrogatione relativa intelligere, neque

[14]) Quod Matth. dicit in gr. gr. §. 520. Not. 5.: *μή* cum indicativo praeteriti cujusque temporis copulari, ubi actio tamquam praeterita significetur, id, quid sit, nescio. Potius nisi quid vere factum esse acceperis, non potest praeteritum timeri. Verum tamen, quum cogitare liceat rem aliquam presentem initium suum repetere ab praeterito tempore, per se patet pro ea, quae perfecto cum praesente est affinitas significandique similitudo, posse etiam ipsum praesens collocari. Igitur ne quaeramus, quomodo fiat, ut praesens legamus e. g. Eur. Phön. 91. Luc. Hermotim. 56.

obstare puto, quin ita sentiam, ea, quae ex Aristoph. et Euripide exempla laudavit V. Cel. (Aristoph. Eccl. 510 (486) Eur. Phoeniss. 92.) Quid enim? si quis sententiam omitteret ὡς ἂν προὐξερευνήσω στίβον, nonne idem debebat dicere μὴ — φαντάζεται? Ita sententia verborum, quibus nulla exprimitur interrogatio, haec est: exspecta — (vereor) ne quis civium in via vere appareat vel apparuerit, adsit, advenerit. cf. Herm. ad Vig. p. 810. Sed quodcunque aliis quidem his de locis videbitur, confirmata est tamen mea, quam tuli, sententia de indicativi in his natura et usu.[15])

---

[15]) Eodem modo, credo, potest intelligi Protag. Plat. p. 312. a. ἀλλ' ἄρα — μὴ οὐ τοιαύτην ὑπολαμβάνεις σοῦ τὴν παρὰ Π. μάθησιν ἔσεσθαι, ἀλλ' οἵαπερ.... Nam neque ἆρα sribendum est, neque ὅρα; in qua correctione cave existimes necessarium esse conjunctivum ὑπολαμβάνῃς (cf. Herm. l. c.); sed ἄρα. Dissidet autem animus meus ab Herm. sententia adnot. Soph. Antig. 632. (Coll. Vig. p. 824.) de utriusque hujus particulae (ἆρα et ἄρα) natura. Sunt autem vere συλλογιστικά. cf. Schaef. Melet. crit. p. 66. — Sententia est istius loci: quantum equidem conjicere possim, vereor, ne non vere tibi videatur esse ejusmodi tuum hoc artis Pythag. studium, sed.... Sed quod Hermannus inter ἆρ' οὐ et ἆρα μή hoc maxime censet interesse, quod ἆρ' οὐ, nonne, responsionem habeat affirmativam; ἆρα μή, num, vero negativam, alterum hoc potest in utramque partem sumi. Etenim si quis haec verba: (Xen. Mem. 2, 6, 34) ἆρα μὴ διαβάλλεσθαι δόξεις patrio sermone convertat vel: du wirst doch wol nicht glauben, daß ich....; vel: glaubst du etwa, daß.... eadem ad utrumque erit responsio haec: Nein. Sed possunt quoque ista verba: „responsionem habent affirmativam" hanc habere potestatem, ut sint: interrogatus accedit interroganti. Tum ἆρα μή unusquisque videt interrogare potius id, quod ab respondente sit affirmandum. Deinde si pro ἆρα μή potest etiam simplex ἆρα usurpari, quia hoc saepenumero secum habet responsionem ajentem, facile intelligas, Hermannum sibi non constare, qui ἆρα μή contenderit locum habere, ubicunque dubitanter de eo interrogetur, quod ab respondente negandum sit. cf. Thuc. 1, 75. Xen. Mem. 2, 6, 1. 3, 1, 10. Herm. ad Vig. p. 823. Bekk. Anecdot. Vol. 2. p. 490. sqq. — Plat. Phaedo p. 64. C. Charmid. p. 174. A. Phileb. p. 27. al. coll. Herm. ad Vig. p. 788. Thiersch. §. 351. 20. Etymol. M. et Gud. s. v. μῶν. Bekk. Anecd. l. c. p. 494. Plat. Jon. p. 23. ed. Nitzsch. Equidem hoc maxime interesse censeo inter ἆρ' οὐ et ἆρα μή, quod leniter illud, hoc majore cum vi interroget. Denique, quod ad locum attinet, quem in orationibus ἄρα occupat, constat eisdem obstringi legibus, quibus indefinita omnia e. g. ποί, πώς, πού, γάρ i. e. γὲ ἄρα cet. Deducitur autem, si originem spectas, procul dubio a themate liquido ἄρω, arcto; (cf. Lob. ad Phryn. p. 18. sqq.), ex quo ejus particulae esse vim conclusivam intelligitur.

Sed pergamus ad Conjunctivum et Optativum. Atque ex illis, quae supra de istorum modorum natura in genere et ratione diximus, facile intelligitur, conjunctivum locum habere, ubicunque aliquid ipsa rei natura fieri posse indicetur; optativum autem, ubi cogitetur duntaxat rem aliquam fieri posse. Jam vero optativus praeteritorum est comes factus.[16]) Quicquid enim in praeterito tempore per ipsam rei naturam fieri posse videtur, quoniam non amplius exstant res, propter quas ita fieri posse aliquando judicaverit, obversatur illud quidem loquentis animo tamquam cogitatum. Atque id causae est, cur optativo opus sit, ubicunque de consilio quodam narretur, quod ipsa actione absoluta desiit esse, quodque ob id ipsum cogitetur duntaxat necesse sit tanquam agentis. Jam senties, quemadmodum eas, de quibus hic quaeritur, sententias cum illis, quibus consilium continetur, confundere in proclivi fuerit. Nam qui metuit vel metuebat aliquando, ut vel ne quid fiat vel fieret, ipsam rem eo tempore, quo verbum primarium est, cogitat tamquam futuram; sive ut ex rei natura timor sit ductus, sive animo tantum et cogitatione fictus. At vide Thuc. 5, 14. *Καὶ τοὺς ξυμμάχους ἅμα ἐδεδίεσαν σφῶν μὴ διὰ τὰ σφάλματα ἐπαιρόμενοι ἐπὶ πλέον ἀποστῶσι* et infra [*οἱ δ' αὖ Λακεδ.* sc. *πρὸς τ. εἰρήνην μᾶλλον τὴν γνώμην εἶχον*] *ἀεὶ προσδοκίας οὔσης μή τι καὶ οἱ ὑπομένοντες* (Helotes) *τοῖς ἔξω πίσυνοι πρὸς τὰ παρόντα σφίσιν ὥσπερ καὶ πρότερον νεωτερίσωσι.* cf. Matth. gr. gr. §. 518 sqq. — Enimvero conjunctivo aut eadem intercedit ratio cum praeterito primario, quae alibi inter indicativum et praeteritum tempus praegressum obtinet; quamquam hoc ipsum accuratiore disputatione indiget; [cf. Herm. ad Vig. p. 900. coll. p. 905. 850., quo loco verba haec: „conjunctivus etiam post praeteritum poni potest, si res, quae conj. illo significatur, adhuc durat" videntur absona esse ab Hom. Od. 3, 76. (cf. Thiersch. §. 342, 5.) Equidem dixerim: conj. ponitur, si res in omnia convenit temporum spatia] aut hypothetica vi ponitur conjunctivus, (cf. Thiersch. l. c.) aut scriptoris modo consilium denotat, optativus autem agentium, (cf. Thiersch. §. 342. 2.) aut denique conjunctivi ratio nititur his sententiis interpositis: *δια τ. σφάλμ. ἐπαιρ. — τοῖς ἔξω πίσυνοι.* Thucydides enim tantum abest, ut

16) „Optativus, qui modus ea notat, quae in sola cogitatione posita sunt, nullius est temporis proprium." Herm. ad Vig. p. 906. — Quid vero? si optativum dixerim modorum aoristum! Sed quominus hanc rem accuratius et prolixius persequar, vetat hujus libelli consilium. Ipsi videant tirones, quid velim!

simpliciter, quid sensissent Athenienses et Lacedaemonii nobis voluerit enarrare, ut haec simul respexerit, tum causam, ob quam et sociorum defectionem et Helotarum rebellionem pertimescerent, tum vero expresserit id, quod rerum ipsarum conditione accidere vel potuisset vel non potuisset. Atque id causae est, cur conjunctivo uteretur, quo modo veritatis ratio exigitur ab optativo remota. cf. Thuc. 5, 29. Plat. Lys. p. 118. C. *Κἄπειτ' οὐκ οἶδ' ὁπόθεν μοι ἀτοπωτάτη τις ὑποψία εἰσῆλθεν, ὡς οὐκ ἀληθῆ εἴη τὰ ὡμολογημένα ἡμῖν.* Xen. Anab. 1, 3, 21. *τοῖς δὲ ὑποψία μὲν ἦν, ὅτι ἄγει πρὸς βασιλέα· ὅμως δὲ....* Quibus locis si mutaveris *ὡς, ὅτι* in *μή* negantem non dubitantius est dictum, sed augetur metus significatio, sicuti Lysias p. 384. coll. Thuc. 3, 53. [*ὑποπτεύω*]. Deinde quod nutrix apud Eurip. Med. 37 sqq. timet, ne quid inauditum moliens Medea Jasonem et ipsum regem occidat, si veram quaeris causam illius timoris, mea quidem sententia nulla est, nisi ea, quam saepenumero nutrix cognoverat Medeae atrocitas. Quodsi in conj. locum optativ. modum suffeceris, timor iste sola in opinione positus est, quae, si pendet ex alia quacunque cogitatione, adsciscat necesse erit voculam *ἄν*; (cf. 317.) velut Xen. Vect. 4, 41: *εἰ δέ τινες αὖ φοβοῦνται μὴ ματαία ἂν γένοιτο αὕτη ἡ κατασκευή, εἰ πόλεμος ἐγερθείη ἐννοησάντων, ὅτι....* et §. 39. *ὃ δὲ ἴσως φοβερώτατον δοκεῖ πᾶσιν εἶναι, μὴ εἰ ἄγαν πολλὰ κτήσαιτο ἡ πόλις ἀνδράποδα ὑπεργεμισθείη ἂν*[17]*) τὰ ἔργα καὶ τούτου τ. φόβου ἀπηλλαγμένοι εἴημεν, εἰ μή.... ἐκβάλοιμεν*, quo loco optandi modum alienam ad cogitationem pertinere

[17]) Sic ego censeo legendum esse, ut particula *ἂν* pertineat quoque ad sequens *εἴημεν.* Thiersch. §. 336. 2. Male enim Schneid., Porsono auctore, uncis inclusit *ἂν* Anab. 5, 9, 28., tanquam insolenter junctum cum *μή* et optativo. Equidem vero cum Schaef. (cf. Herm. ad Trach. Soph. 627) restituere malo *ἐννοῶ μὴ λίαν ἂν ταχὺ σωφρονισθείην.* De significatione verbi *ἐννοῶ* cf. Anab. 4, 2, 13: 3, 5, 3, *φροντίζω* Lucian. Somn. 21. *ὑπόνοια ἐγένετο* Thuc. 7, 49. *φρονεῖσθαι* Xen. hist. gr. 4, 8, 4, ubi neque *φοβερόν* addendum est, neque *δεινόν;* denique ingentem vide exemplorum multitudinem verbi *ὁρᾶν.* Caeterum ne confundantur enunciata ejusmodi post verba metus significativa cum finalibus, quae vocantur, jam semel monui. Differunt enim haec Hom. Od. 2, 179 *μαντεύεο σοῖσιν τέκεσσιν οἴκαδ' ἰών, μή πού τι κακὸν πάσχωσιν ὀπίσσω* ab *αἰνῶς δείδοικα-μή σε παρείπῃ* Il. 1, 555. cf. Thiersch. gr. gr. §. 337. 7. Not., Quare interesse nonnihil censeo, utique Hermanno invito ad Vig. p. 701., inter *ὅπως* relativum et *ὅπως* finem indicans. Itaque apud Xen. Mem. 2, 9, 3. quum formulas *μὴ τράποιτο* et *ὅπως μὴ τράπ.* diversas esse putem, *ὅπως* vim relativam habere contendo.

clarum est. Contra sensus verborum ap. Soph. Trach. 627: δέδοικα γάρ, μὴ πρῴ λέγοις ἂν τὸν πόθον τὸν ἐξ ἐμοῦ, πρὶν εἰδέναι τἀκεῖθεν εἰ ποθούμεθα (vid. not.) hic est: quid praeterea aliud dicere possis, nimirum, si quid dicere velis, quam benignissime a me captivam exceptam esse. An vero iste mecum sentiet idem? vereor autem, ne prius de meo Herculis desiderio dicturus esses, quam scires, illene mei aliquo desiderio teneatur (μὴ πρῴ λέγοις ἂν .... i. e. habeo, cur existimem te prius dicturum esse....) At enim verba haec hypothetice dicta esse, intellectis his: εἰ ἄλλο ἐννέποις, equidem ego non invenio. Verum enim vero plerumque huic rei suppetit solus optativus, quia metuens quisque, dum rem aliquam conjicit tantum fieri posse, sua sponte aliam, ob quam aliquid fieri posse fingat, agitat animo vel suam vel alienam cogitationem. cf. Apollon. Rhod. Argon. 3, 48. Xen. Mem. 1, 2, 7. (cf. Herm. Vig p. 797.) cui loco consimilis est is, qui apud Platonem Euthyd. p. 304. legitur, praeterquam quod hic alienum esset οὐκ. — Jam vero satis exposuisse mihi videor, quemadmodum finitum tempus distet ab infinitivi usu. Nam infinit: ab quacunque alia cogitatione sejunctus nihil nisi nudum indicat metus objectum; indicativ: autem ponitur, ubicunque rem aliquam aut vere fuisse aut futuram esse dicimus. Deinde conjunctivus, qui per ipsam rei naturam fieri quid posse significet, rerum caussarumque necessitudinem spectat; contra optativus sine ἂν positus rem exprimit, quam aliquis timendam fieri posse cogitat; denique idem adjecta vocula ἂν iis in sententiis ponitur, in quibus cogitatio ab alia quadam seu loquentis seu alius personae cogitatione pendet. Igitur δέδοικα τὸν πατέρα θανεῖν significat: metuo mortem patris — das Sterben, den Tod des Vaters; δέδ. μὴ τέθνηκε, metuo ne (vere) mortuus sit pater; δέδ. μὴ θανεῖται metuo, ne (vere) sit moriturus — er ist wirklich gestorben; er wird wirklich sterben; δέδ. μὴ θάνῃ, metuo, ne moriatur, quod propter causarum veritatem factum iri sumo; δέδ. μὴ θάνοι metuo, ne moriatur (ne moreretur), quod cogito fieri posse; δέδ. μὴ θάνοι ἂν id., quia est, cur censeam, fingam, eum moriturum esse.

Sed jam quaeritur, quid intersit inter dictiones δέδοικα μὴ θανεῖν et δέδ. μὴ οὐ θανεῖν. In hoc tandem discrimine, ceteris, quae ad disputationem meam pertinebant, absolutis, sermo meus versabitur. Ac primum quidem jam supra dixi, negationem μὴ saepenumero infinitivo adjunctam post verba negativae potestatis cum nunquam amittere peculiarem suam vim, tum strictius

esse conjungendam cum verbis affirmantibus, quae post illa Graeci reticere consuerint. Quid multa? Nam verborum negantium constructio cum infinitivo et *μή* negante in duarum loquutionum conglutinatione nititur, cujus generis quam plurima apud scriptores veteres exempla reperiri, quis est, qui non cognitum habeat. Itaque *δέδοικα μὴ θανεῖν* proprie constat duobus his: *δέδ. θ.* et *ἐπιθυμῶ μὴ θανεῖν*. Idem autem convenire non solum in *δέδοικα μὴ οὐ θανεῖν*, sed etiam in tempus finitum, non est, quod moneam. Cave tamen existimes, infinitivum cum *μή* junctum nihil differre ab infinitivo sine *μή*. Puto autem negationem usquequaque cum vi quadam excitandam collocari oportere, ubi quis contrarium quodque sive verbis sit expressum, sive mente cogitatum, vehementissime velit negare. Liquet autem, nervosius posse negari cum totum enunciatum, tum aliquam ejus partem sive ipse sit infinitivus, sive quodcunque huic accuratius definiendo inserviat. Alterum hoc si fit, locum habet *μὴ οὔ*, quod, quominus cum Hermanno infirmius esse arbitrer, quam simplex *μή*, haec fere impediunt. Aut enim, quemadmodum vulgo loquuntur, se invicem tollunt negationes, aut unius tantum vim habent plures licet fortiorem,[18])

Praeter-

---

[18]) Discrepat Buttmannus in gr. gr. §. 135. 6. qui ita disserit: es heben die gehäuften Verneinungen nicht (wie im Lat. non nunquam u. dgl.) sich auf; sondern verstärken einander. Namque supra vidimus esse *οὐκ ἀρνοῦμαι*, quod *ὁμολογῶ*, sicuti non ignoro, *οὐκ ἀγνοῶ* nihil distat ab *εὖ οἶδα*, bene scio. Enimvero licet graecum hoc *οὐκ ἐποίησα οὐδέν* nunquam conveniat Lat. aut non nihil feci, aut nihil — non feci; tamen altera negatio apud Graecos tantum abest, ut priore sublata ipsa vim suam amittat, ut denuo ad eam repetatur necesse sit verbum vel sententia. Igitur quoties novum aliquod praedicatum, quo accuratius definiatur, accedit sententiae neganti, toties Graeci negationes repetunt, Latini non item. Herodot. 4, 137. *οὔτε αὐτὸς Μιλησίων οἷός τε εἶναι ἄρχειν οὔτε ἄλλον οὐδένα οὐδαμῶν* neque se Milesiorum imperium obtinere posse neque alium quemquam ullius civitatis. cf. Ramsh. gr. Lat. p. 490. Quod idem evenit iis in locis, quibus negatione praemissa notio negativa mutatur in affirmantem e. g. Lysias Apol. Mant. p. 577. *οὕτως βεβίωκα ὥστε μηδεπώποτέ μοι μηδὲ πρὸς ἕνα μηδὲν ἔγκλημα γενέσθαι.* Etenim quum *ἔγκλημά μοι ἐγένετο* non discrepant ab *οὐκ ἐπηνέθην*, adeo ut *οὐδεπώποτέ μοι οὐδὲ πρὸς ἕνα οὐδὲν ἔγκλημα ἐγένετο* significet, quod *ἀεί τε καὶ πρὸς ἕκαστον ἐπηνέθην* illa verba plene ac perfecte sic accipito: *οὐδεπ. μ. ἔγκλ. ἐγένετο; οὐδὲ πρὸς ἕνα ἔγκλ. ἐγ.; οὐδὲν ἔγκλ. ἐγένετό μοι.* Ex quibus quispiam facile intelliget negationibus accumulatis enunciatum quodque negans gravius multo incedere, quam sententiam ajentem. cf. Lucian. Cynic. 15. Plat. Sophist. p. 238. 6, 251. e. Soph. Antig. 3. Trach. 1047. Constat

Praetermitto autem h. l. discrimen, quod est inter subjectivum μή et οὐ objectivum. Quae quum ita sint aut idem significat δέδοικα μὴ μὴ (οὐ) θανεῖν,

---

stat autem apud Latinos vocabulum non alteri cuique neganti postpositum, velut nemo non, nihil non, ajentem sententiam efficere eamque fortiorem et nervosiorem. Igitur fortius est „nihil non pollicitus sum", quam omnia pollicitus sum. Atque huic dicendi generi consimillima conformatio apud Graecos recurrit his in formulis: οὐδὲν ὅτι οὐκ ὑπεσχόμην. At enim dubito, quin ὅτι omisso bene dici liceat οὐδὲν οὐκ ὑπεσχόμην., etsi Hermannus hisce verbis defendit ad Soph. Antig. p. 13. „οὐδὲν οὐ duas habet se invicem tollentes negationes et est nihil non." Qua in re meo quidem, quantulum sit, judicio vir summus erravisse mihi videtur. Quae enim duo hujus constructionis affert exempla partim paucitate sua partim lectionis ambiguitate infirmia sunt. Primus locus est apud Xen. Sympos. 1, 9. quem necessaria emendatione sublatum esse spero; vide Schneiderum ad h. l., alter paulo est diversus, imo in hac causa non audiendus. Verum quod gravissimi est hac in re momenti, non possunt particulae eo loco hanc habere vim, ut sint: nihil non. Nam ut sensum eruat hunc: „nihil acerbum, nihil flagitiosum, nihil turpe, nihil ignominiosum est, quod non a nostris (?) factum viderim; vir summus sic vult Sophoclem scripsisse: οὐδὲν γὰρ οὐκ ἀλγεινόν, οὐδ' ἄτης ἄτερ, οὐδ' αἰσχρόν, οὐδ' ἄτιμον ἔσθ' ὁποῖον οὐ τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν. Jam vero si οὐδὲν οὐκ ὄπωπα significat: nihil non vidi, sequitur, ut totum constituat sensum hunc: nihil non acerbum est, quod non viderim i. e. omnia sunt acerba, quae non viderim, id, ut idem significet, quod omnia, quae vidi, non sunt acerba, quo quid magis abhorret a mente Sophoclis? Sed non possum, quin in dubium vocem, quod Matthiae V. D. in grammatica sua p. 669. contendit: „ὅστις in formulis his per ellipsin intelligi oportere." Magno opere enim est in hac re cavendum, ne quis, ubi sententia in animi quadam affectione vertitur, de ellipsi cogitet, ubi plane est nulla. Licebat profecto dici: οὐδὲν ἦν, ὅτι οὐκ ὑπέσχετο, sicuti in argum. Athen. ἐν οἷς οὐκ ἔσθ' οὗ τινὸς οὐκ—ἐμνήμον.. Plat. Meno p. 93. a. οὐδείς ἐστιν, ὃς οὐ βελτίω αὐτὸν ποιήσει. Diod. Sic. 17, 13. οὐκ ἦν ὅστις ἰδὼν οὐκ ἂν ἠλέησε... coll. 19, 7. Arrh. de Venat. 20, 3. Thuc. 6, 28. Lucian. Somn. 7. Xenoph. nescio quo loco: οὐδεὶς ἦν ὅστις οὐκ ᾤετο, al. Sed quid inde? Ergone omissio τοῦ εἶναι ellipsis est vocanda? Non magis, puto, quam quis recte pleonasmum vocaverit, ubi in una eademque enunciatione vel eandem particulam propter rhetoricas quasdam rationes vehementiae causa repetas! cf. Herm. ad Vig. p. 709. Prudenter vero id genus dicendi Buttmannus, V. Cel. in attractionis idiomate refert, etsi non omnibus ex partibus vera esse censeo, quae notata reperiuntur § 138. 1. coll. § 135. 7., sed, ut omnia generatim membratimque perstringam tempora mea non patiuntur. Quid? quod hac in re relativo omisso latinus sermo Graecorum dictionem etiam excedit. cf. Hdt. 5, 56.

quod δέδοικα θανεῖν, quod fieri nequit, aut multo majores nervos altera negatio habet v. g. Aristoph. Eq. 19. μή μοί γε, μή μοι, μὴ διασκανδικίσῃς. Ex his dictis late patet, in dictione δέδ. μὴ μὴ (οὐ) θανεῖν majorem, quam in forma dicendi δέδοικα μὴ θανεῖν inesse gravitatem. Verum enim vero quomodo οὔ, quae vocula rem ipsam neget, possit omnino debilior esse quam

---

Plat. Protag. p. 100. Xen. Cyr. 1, 4, 25. 8, 2, 24. Thuc. 3, 39. Plat. Meno p. 70. Symp. p. 179. A. Phaedo p. 117. D. Hdt. 7, 145. ubi cave quidquam mutes. Attrahitur autem genitivus οὐδαμῶν Ἑλλήν. ab τῶν οὔ. Xen. 5, 1, 3. huc non spectat. Quo in loco frustra conjecturam periclitatus est Koeppen: ἐκεῖνον οὐδεὶς ὅς οὐκ ἐδεξιώσατο. τ. στρατιωτῶν suadens pro οὐδεὶς ἐκ. τ. στρ. ὅς οὐκ ἐδ., neque ὅς delendum est, neque, quod mihi aliquando in mentem venit, ἐδεξ. ex sequenti subaudiendum esse post ἐκεῖνον. Sunt autem omnia sanissima. Licet enim temporis decursu tanquam una esset notio οὐδεὶς ὅστις οὐκ, quod ita esse optimo jure ex obliquis casibus colligas, tamen, quominus saepenumero sejuncta usurparent verba et disposita omnino nihil obstabat, imo egregiam quandam vim habet h. l. ἐκεῖνον illud juxta οὐδείς collocatum cf. Cyr. 1, 4, 25. Restat unus locus, cujus viri docti, quantumcunque sudaverint, mea quidem sententia sensum non extricaverunt. Est autem hic locus apud Xenoph. hist. gr. 1, 4, 16. οὐκ ἔφασαν δὲ τῶν οἵωνπερ αὐτὸς ὄντων καινῶν δεῖσθαι πραγμάτων οὐδὲ μεταστάσεως. Ac primum quidem quae ad sequentia Fr. Aug. Wolfius, summus ac singularis vir, disputavit iis nihil habeo, quae addam, nisi quod comma delendum esse censeo post πρότερον. Deinde pro αὐτός mihi non dubium est, quin Xenophon scripserit αὐτόν; quam mutationem admodum levem iis probatum iri spero, qui totum locum cognoverint. Neque vero contendere ausim, legitimum esse h. l. participium ὄντων, quod mihi fateor ab aliena manu adscriptum videri in ejusmodi praesertim loco, qui vocabulorum similitudine oculos librariorum delusit. Jam vero τῶν οἵωνπερ per attractionem accipito pro τ. τοιούτων κ. πρ. οἷάπερ ἦσαν, quae verba, si ad Xen. Mem. 2, 9, 3. dirigas [χαριζόμενον οἵῳ σοὶ ἀνδρὶ ἢ ἀπεχθόμενον ὠφελεῖσθαι posita esse existima pro χαρ. τοιούτῳ ἀνδρὶ οἷος σὺ εἶ ἢ ἀπ. (cf. Mem. 4, 8, 11.)] mutantur in τῶν (cave putes articulum superfluum esse, ut quo ea ipsa res indicetur, de qua est enunciandum aliquid) οἵωνπερ κ. πρ. Denique quod ad sedem attinet, quam occupant αὐτόν et δεῖσθαι, quis est, qui nesciat antiquos numerosae orationis fuisse studiosissimos. De re ipsa cf. Thuc. 6, 15. 27. sq. Isocr. π. ζ. 17. a. f. Pseudo-Andoc. 119. VI. A. 125, 4. 126, 9. Quae si vere sunt disputata nihil amplius difficultatis habent Thuc. 7, 21. 5, 9. ubi velim diligenter attendas ad genitivum ἐλευθέρας, qui, quamvis attractus sit ab substantivo χώρας tamen est, quo major verbis venustas concilietur, ab eo distractus. coll. Cyr. Xen. 4, 5, 29. hist. gr. 2, 3, 25. al.

μή subjectiva, ego quidem non perspicio. Quid? quod etiam in latino sermone, licet diversa ratione ne non acrius orationem intendit, quam ut cf. Ramsh. gr. lat. p. 606. Quod autem dixi *μή* ubique voce acuendum esse tanquam ponderosum praeter alia multa haec comprobant. Xen. Cyr. 1, 6, 31. — *ὃς ἐδίδασκεν ἄρα τ. παῖδας τ. δικαιοσύνην ὥσπερ καὶ σὺ κελεύεις μὴ ψεύδεσθαι καὶ ψεύδ. καὶ μὴ ἐξαπατᾶν κ. ἐξαπ. καὶ μὴ διαβάλλειν κ. δ. κ. μὴ πλεονεκτεῖν κ. πλ.* Denique, quod *μὴ οὐ* distat ab *μὴ μή* sequitur, ut objectiva negatio *οὐ* aut peculiarem efficiat enuntiationem, aut tantummodo inserviat vel ipsi infinitivo, cui adjungatur, vel parti ejusdem cuicunque excitandae. Quorum alterum amplectitur Reisigius, vir ingeniosissimus, in Comment. crit. p. 238. „Proprium est enim, inquit, hujus loquutionis non tam, ut dubitanter neget, quam ut sententiam consequatur negantem, eamque denuo inculcet, quasi *οὐκ ἔστιν οὕτως* sit dictum. Id adeo vehementius negat. Quaeritur autem, quid negetur. Distinguenda igitur sunt duo genera, alterum, ubi aliquid consectarium dicitur per infinit., alterum, ubi aliquid conditionis instar prius est. Negatur autem semper id, ex quo pendet aliquid. Itaque Antigona, quum dicit: *πείσομαι γὰρ οὐ τοσοῦτον οὐδὲν ὥστε μὴ καλῶς θανεῖν* per *οὐ* acrius intenditur negatio *οὐ πείσομαι* cet." His igitur constitutis, sequitur, ut *δέδοικα μὴ οὐ θανεῖν* non sit: *δέδ. μὴ θ.*, quod denuo negari debeat per *οὐ δέδ.*, sed per *οὐκ ἐπιθυμῶ* sc. *μὴ θ.* i. e. *βιῶναι*, quod eodem redit, quo *ἐπ. θ.* Ergo *οὐχ οἷόστ' εἰμι μὴ οὐ λέγειν* i. q. *οὐχ οἷόστ' εἰμι μὴ λ.* et *οὐχ οἷόστ' εἰμι*; *ἀρνοῦμ. μὴ οὐχ οὕτ. εἶναι* sonat, quod *ἀρν. μὴ ....* et *οὐχ ὁμολογῶ* sc. *μὴ οὕτ. εἶν.* i. e. *ὁμολ. οὕτ. εἶν.*, denique *οὐκ ἀρν. μὴ οὐχ....* nihil aliud est, quam *οὐκ ἀρν. μὴ οὕτ. εἶν.* et *οὐκ ἀρνοῦμαι.*

Sed ut omittam hoc esse conjuncta divellere, quamquam non ignoro, constructione orationis plura reperiri apud Atticos disjuncta; nonne libidinosius est factum modo verbum negativae potestatis repetere, modo affirmativae, prout sensus postulaverit? Quodsi recte monuisset vir summus, puto negantem *οὐ* collocatam fuisse ante *μή*. Deinde quod Sophoclis verba attinet, quaeso num, ex quo pendet inf. *θανεῖν*, futurum *πείσομαι* negatum est, an vero *οὐ* sociandum cum *τοσοῦτον*? quemadmodum factum videmus e. g. Xen. Anab. 1, 7, 7. quo loco non *οὐ δέδ. τοῦτο* dicitur, sed *οὐ τοῦτο δέδοικα.* Consequens igitur est, sententiam istam esse ajentem. An quia potest etiam dici *οὐ νομίζω καλὸν τοῦτο εἶναι* eadem vi dictum putabis *νομ. οὐ καλ. ε. τοῦτο*? Minime gen-

tium! Nam ut in re ipsa nihil discrepent, at diversa tamen ratione et dicuntur et cogitantur, imo aliam alia ratione verborum collocationem desiderari unusquisque sentit. Nam qui dicit: *νομ. οὐ τ. κ. εἶναι*, is nonne vult pronomen motu aliquo ac corporis gestu in sensus perspicuitatem extolli? [In mentem revoco h. l. tironibus discrimen inter *τοῦτο* et *αὐτό*, quorum alterum fere nullam habet vim, alterum propter fortiorem quendam pulsum ab Atticis antehabitum est.] Atque haec verba *νομίζω οὐ καλὸν εἶν. τ.*, nonne significant: puto non pulchrum esse hoc, sed turpe? Ex quo intelligitur, haec: *νομίζ. μή κ. εἶν. τ.* indicare: puto, non pulchrum esse h., quibus verbis ita collocatis impugnatur affirmatio *ἔστι καλόν*. Quid igitur impedit, quominus voce excitemus *καλῶς θανεῖν*.[19]) Quin ipsum Hermannum hac in re habemus consentientem. cf. Soph. Antig. 372. „Quia verbis, inquit, *πῶς ἀντιλογήσω* hoc subest, quomodo contendam, recte posuit *οὔ*. Acuendum voce atque erigendum est nomen Antigonae: quomodo contendam hanc non esse Antigonam. Illud enim vult Antigonam, non aliam esse. Per linguae leges licebat etiam dici: *τήνδε μὴ εἶν. Ἀντιγόνην*, sed alio eoque hic non apto sensu. Id esset enim, quomodo contendam hanc non esse Antigonam. Id tum recte diceretur, si alius dixisset esse Antig., idque confirmans chorus adderet non habere se, quare non esse

---

19) Non secus est Thuc. 1, 67. *Αἰγινῆται — ἐνῆγον τ. πόλεμον λέγοντες οὐκ εἶναι αὐτόνομοι κατὰ τ. σπονδάς.* Totum enim locum adscribere, ut et alibi, dubitavi, quod parcendum est disputationis magnitudini et typorum penuriae. Haacke, cujus, magistri dilectissimi, disciplina equidem admodum adolescens gavisus sum, convertit: „negantes, se sua libertate uti," presse autem sonant: dicentes, se non libertate sua uti. Namque Aginetae bellum contra Athenienses non concitavissent, si statum suum integrum tenuissent. Id causae erat, cur Lacedaemonios instigarent in Athenienses. — Sic igitur dicendum erit: *οὐχ οἱ καλῶς ἄρχοντες προδιδόασι τὴν πόλιν, ἀλλ' οἱ μὴ δικαίως.* Sententia autem est ajens, quemadmodum in his: *ἐγὼ δὲ ἡγοῦμαι οὐ τούτους ἀδικεῖν ἐν τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' εἴ τις....* Nec tamen ego repugno, quominus illa dicta accipias pro *λέγοντες, ὅτι οὐκ....*, sed illud cavendum existimo, ne in proximis per omnia verus habeatur vir candidissimus sic praecipiens: „at enim vero si aliud est subjectum verbi finiti vel participii, aliud infinitivi, etiam Graeci accusativum adhibent;" hanc vero rem, ne in tenuibus differentiae momentis extricandis et dijudicandis longus sim, nunc praetermittam. Sed non possum, quin in calcem hujus annotationis adjiciam haec Lex. Seguer. (cf. Bekk. Anecd. p. 11, 27.) *ἀπώμοσα μὴ οὐ πρᾶξαι τοῦτο· ἰδίως Ἀττικῶς ἐκ περιττοῦ ἔχον τὸ μὴ ἐπίρρημα.*

contenderet." σοφώτατα καὶ σαφέστατα. At religiosum est omittere μή, neque est, cur Graecis de latini sermonis ratione et usu sit laborandum. Deinde πῶς ἀντιλ. idem est, quod οὐκ ἀντιλ., non contradico, neque contendo Antigonam non esse i. e. est Antigona; adeo, ut sensus evadat hic: nunquam ego metueram, ne Antigona facinus patraverit. Sed quod attinet ad Thucyd. 3, 36, verba: πόλιν ὅλην διαφθ. μᾶλλον ἢ οὐ τ. αἰτίους idem denotant, quod ἢ διαφθ. οὐ τ. αἰτ., haec autem Thuc. 4, 26: ἐν αἷς οὐ πολλοὶ ὀλίγων ἄρχουσιν, ἀλλὰ πλειόνων μᾶλλον ἐλάσσους sonant, quod ἐν αἷς ἀρχ. οὐ π..... ; quemadmodum accipias velim Hdt. 4, 118 — μᾶλλον ἐπ' ἡμέας ἢ ἥκει οὐ καί —; postremo Thuc. 2, 62. οὐδ' εἰκὸς — ὀλιγωρῆσαι sunto pro: ἢ εἰκὸς οὐ κήπ. ὀλιγ. — Denique Hermanno (Vig. q. 801.) graece semper dicendum esse οὐ μᾶλλον ἢ οὐ statuente, ego quidem non accedam; neque video equidem, quomodo Thuc. 3, 36 interrogationem admittat. Num fortasse putabimus per linguae leges non licere dici πόλιν ὅλην διαφθ. μᾶλλον ἢ οὐ τ. αἰτίους? Enimvero sensus est: everto reos non pariter, ac totam urbem. Sed quomodocunque aliis his de locis videbitur (cf. Gregor. Cor. p. 102. §. XLIV.), quoniam diversa est eorum ratio, ego nunc missa faciam. Reisigii ergo sententiam, quum ultra nulla amplius ratione defendere possim, praetermittere statuo. Jam vero, quum οὐ non peculiarem efficiat sententiam, neque possit unquam μὴ οὐ infirmius esse, quam μή, neque οὐ confundi cum μή, restat, ut aut infinit: aut alia quaecunque ejus pars nervosius fortiusque intendatur. Ego vero ad istam rationem comprobandam in cumulum adjiciam haec. Nam, quemadmodum in adverbiis νυνί, οὑτωσί pariter atque in pronominibus ἐκεινοσί, οὑτοσί al. affixum illud ι est procul dubio jota demonstrativum,[20]) sic quoque οὐχί demonstrandi vim habere asseverare non dubito; adeo ut erigendum esse indicet in δέδ. μὴ οὐχὶ θανεῖν infinit. θανεῖν. Erunt profecto, qui ita me objurgent: „neque obscura neque perplexa est ista tua via et ratio, sed clara potius et difficultatum, quibus nostra pressa est, expers. Tune autem vis, nos grammaticorum contemnere doctrinam, qui docent: οὐχί nonnisi productam esse formam simplicis οὐ?"[21]) Audio. Nec tamen, quamquam non is sum,

---

[20]) cf. Buttm. gr. gr. §. 72. p. 290. Bekk. Anecd. p. 916, 12. de synt. lib. 2, 5. 18.
[21]) cf. Bekk. Anecd. p. 947. 1236. Lex. Gud. s. v. νοσφιζοίμεθα. Et. Magn. s. v. Passov. Lexic. s. v. ναίχι.

qui praefracte uberrimum antiquitatis cognoscendae fontem negligam, tamen, quid repugnantiae sit inter mea et illorum praecepta equidem non perspicio. Imo possunt ea optime inter se conciliari, dummodo concesseris, multa grammaticorum notitiam effugisse. Atque sic puto etiam simplicem *οὔ* in hac formula *μὴ οὔ* accentu notandam esse.

His igitur velut gradibus insistens exempla, quibus ea, quae supra diximus, continentur, afferam, quo facilius hujus commentationis lectores possint judicare, quaenam sit mea sententia. Ad ea exempla primum refero id, quod occurrit ap. Lucian. Imag. 1. *ὥστε θᾶττον ἄν τις ὅλον τὸν Σίπυλον μετακινήσειεν ἢ σὲ τ. καλῶν ἀπάγοι μὴ οὐχὶ παρεστάναι αὐταῖς κεχηνότα καὶ ἐπιδακρύοντά γε πολλάκις....* ita, ut citius quis totum Sipylum de loco suo dimoveret, quam te a formosis possit abstrahere, quominus hianti ore et lacrymas profundens illis adsistas. Utique licebat per sensum legi in Toxar. 17. *ἕωθεν δὲ οἱ στρατηγοὶ παρῆσαν — καὶ συλλαβ. τ. Δεινίαν οὐδ᾽ αὐτὸν ἔξαρνον ὄντα μὴ πεφονευκέναι ἀπάγουσι....* primo diluculo aderant milites comprehensumque Diniam, qui ne ipse quidem caedem se fecisse negabat, abducunt.... adeo, ut sensus constituatur hic: Dinias interrogatus essetne interfector, respondit non: se non patravisse facinus. Contra si verba *μὴ οὐχί* substitiiis, valeant eadem: imo interfeci hominem, nec tamen non lacessitus. — In conv. §. 32. Zenothemis quidam exprobrat Cleodemum, quod venenum praebuerit Critoni, qui ipsum patrem necaturus esset... *ἀλλ᾽ ἐκεῖνο οὐκ ἂν ἔξαρν. γένοιο μὴ οὐχὶ φάρμακον ἀποδόσθαι Κρ. ἐπὶ τὸν πατέρα;* quae verba, si componas cum illis, quas paullo ante Cleodemus in Zenoth. contulisse dicitur, criminationibus, non amplius est dubium, quin *φάρμακον* fortiorem habeat pulsum, sitque voce acuendum. Sic ait Aeschin. c. Tim. p. 48, ed Weig.: *ἐγὼ δὲ οὔτε ἔρωτα δίκαιον ψέγω, οὔτε αὐτὸς ἐξαρνοῦμαι μὴ οὒ γεγονέναι ἐρωτικὸς καὶ ἔτι καὶ νῦν εἶναι τάς τε ἐκ τ. πράγματος γενομένας πρὸς ἑταίρους φιλονεικίας — οὐκ ἀρν. μὴ οὐχὶ συμβεβηκέναι μοι, περὶ δὲ τῶν ποιημάτων — τὰ μὲν ὁμολογῶ, τὰ δὲ ἐξαρν. μὴ τοῦτ. ἔχειν τ. τρόπον, ὃν οὗτοι....* ex quibus verbis non *μή* sed *γεγονέναι* cum accentu pronunciandum esse aperte docent *ἔτι καὶ νῦν εἶναι.* Idem autem evenit in *συμβεβ.*, quoniam ratio habetur proximi perfecti: litibus equidem implicatus fui nec tamen sum etiam nunc. Eodem modo poterat quidem dici, *μὴ οὔ τ. ἔχειν τ. τρ.;* sensusque est: alios habere, alios non habere affirmo et pertendo.

cf. Isaeus de Apollod. haered. ed. Weig. p. 75. Atque Socrates Platonicus in Gorg. p. 461. a. rhetoricam, inquit, in superioribus (p. 453. e. sq.) diximus non versari circa par et impar quodque, sed de justo atque injusto agere. Atqui quantumvis paulo post contenderes (p. 457.) oratorem etiam injuste uti rhetorica, mox (p. 460. b. sq.) statuimus non ita esse. Quae quum ita sint, priusquam ulterius progrediamur, ea res accuratius perspicienda esse videtur. Ad haec Polus sic pergit: putasne Gorgiam contendisse justa, pulchra, honesta quaeque non esse, cur cognita habeat orator? ac non ipsum, si quis earum rerum imperitus accedat, ei se magistrum profiteri? (460. a. sq.) Nam nemo unquam negabit, neque ipsum se intelligere justum, quid sit, neque alios se docturum esse. Ergo de justo atque injusto deque eo agit disputatio, utrum hoc ipse sciat orator possitque alios docere ejus rei ignaros. Neque vero haec est conformatio orationis, quasi Socrates dixisset: necesse esse orator exploratum et cognitum habeat justum, Polus autem vel Gorgias: non opus esse illius rei notitiam oratori contendisset. Sed nunc instat locus palmarius, qui etiam hebetiores aures acuere possit. Lucian. dial. Mort. XIV. I. *νῦν μὲν, ὦ Αλέξ., οὐκ ἂν ἔξαρν. γένοιο μὴ οὐκ ἐμοὶ υἱὸς εἶναι· οὐ γὰρ ἂν ἐτεθνήκεις Ἀμμωνός γε ὤν.* Nunc quidem negare nequis, quin meus sis filius; non enim mortuus esses, ex Ammone procreatus si esses. Econtra vide sis Luc. Prometh. §. 16. „Licet longus essem, tamen tempus ad omnia facinora tua enarranda non suppeditat (*τά σοι πεπραγμένα.*) Quare tantummodo haec tibi explicabo. — Nonne pergere eum oportuit *εἰ μὲν ἔξαρν. εἶ μὴ εἴργασθαι αὐτά*... omnia tu patrasti, quae si fecisse te negas (si non fecisse te affirmas, si contrarium obtines.).... Quid vero? si Hermes nonnisi haec professus esset — *σαυτῷ μὲν τ. κάλλιστα ἐφύλαττες* pronomine fortius pronunciato alteri dicendum fuit; *ἔξαρν. εἶμι μὴ οὐχὶ ἐμαυτῷ φυλάξαι αὐτά* i. e. alteri cuique. Hdt. 3, 66. Cambysen constat mortuum esse nulla prole relicta. At Magos rerum potitos esse Persae persuadere nullo pacto sibi potuerunt, sed Smerdin, Cyri fil., seditionem conflavisse existimarunt, praesertim, quum Prexaspes Smerdin a se interfectum esse constanter negaret. Quodsi animam illi a se ereptam esse negasset, sed alias quascunque concessisset injurias illatas, profecto scripsisset Herodotus: *μὴ οὐχὶ ἀποκτεῖναι.* Soph. Aj. 96. *κόμπος πάρεστι κοὐκ ἄπαρν. τὸ μή.* Utrum alia praeter eam, quam Hermanni editio, ad quam unam mihi patuit aditus, exhibet, lectio exstet, nescio. Ajax igitur a

Minerva interrogatus, an jugulaverit principes ducesque exercitus: non nego, inquit, me non fecisse; utique feci. Fac Sophoclem scripsisse *μὴ οὔ*, intelligitur illam caedem, quam quaerit Dea ex heroe insania ac furore correpto, oppositam cogitandam esse simillimo cuicunque alii facinori. — Demosth. Phil. 3. p. 124, 28. *ὡς οὐκ εἰσὶ τοιοῦτοι*, quae verba si mutaveris in infinit: recipiunt *μή*. Sed vide praegressa. Eodem modo procul dubio recte est *μὴ οὔ* in Xen. hist. gr. 3, 3, 6. Idem evenit in Anab. 2, 3, 11. — Socrates, si sic interrogavisset Charmiden: (Plato Charm. p. 164. D.) numne recte dixti medicum affirmans moderatum esse, dummodo utiliter agat; ille debebat pergere: *οὐκ ἂν αἰσχυνθείην, ὅτι μὴ ὀρθῶς φάναι εἰρηκέναι*; nam *μὴ οὐχί* diversam postulat interrogationem. Sic legitur Xen. Cyrop. 8, 4, 5. *τὸν δὲ πρωτεύοντα ἐν ἕδρᾳ ᾐσχύνετο μὴ οὐχὶ πλεῖστα κ. ἀγαθὰ ἔχοντα παρ' αὐτοῦ φαίνεσθαι*; contra ap. Plut. Ages. 5. *τοὺς μὲν γὰρ ἐχθροὺς ᾐσχύνετο μὴ τιμᾶν κατορθοῦντας, τοὺς δὲ φίλους οὐκ ἐδύνατο ψέγειν ἁμαρτάνοντας....* cf. Xen. de rep. Lac. 6, 2. Plat. Protag. p. 352. D; ibique Heind. — At simplex *μή* reperitur ap. Lysiam acc. Theomn. p. 344. — Sed ut haereat quispiam in Arrh. Venat. 20, 3. alteram utram lectionem praeferat, non magis quenquam haerere posse censeo in Arrh. Anab. 4, 23. Alexander rex vulnere affectus erat, non autem letali illo: *ὁ γὰρ θώραξ ἔσχε τὸ μὴ οὐ διάμπαξ διὰ τοῦ ὤμου ἐλθεῖν τ. βέλος*. cf. 2, 27. Xen. Cyr. 1, 6, 32. Plat. Polit. p. 354. ult. Aesch. Eumenid. 903. — Quodsi chorum audis ap. Soph. OT. 1354. fateor nihil magnopere obstare, quominus legi possit *μή* vs. 1374. 75. Neque vero ferri potest *μὴ οὔ* in Philoct. 350. 1287; quo in altero loco Philoctetes, ubi primum conspexerit Ulyssem dicitur consilium cepisse interficiendi virum sibi inimicissimum. At vero ut caedem prohibeat Neptolemus arcum fatalem retinet, Philoctete sic obloquente: *τί μ' ἄνδρα πολ. — ἐχθρὸν τ' ἀφεῖλου μὴ κτανεῖν τ. ε.* Luc. Paras. §. 28; ubi haec verba: *φιλοσοφίαν — ἀνάσχοιτο μὴ μίαν εἶναι....* referuntur ad priora *ἀριθμητικὴ μὲν μία ἐστὶ....βαρβάροις*. coll. Xen. Anab. 3, 5, 11. Hdt. 1, 158. Aesch. Eumenid. 681. Thuc. 5, 25. Eurip. Androm. 687. Diod. Sic. 11, 26. — Verum enim vero absonum est *μὴ οὔ*. Plat. Phaed. p. 117. C. Eur. Hippol. 663. — Plat. Euthyd. p. 297. B. — *πολλοῦ δέω μὴ δύο γε φεύγειν*. cf. Xen. hist. gr. 4, 1, 36. econtra Luc. Imag. 1. nulla adjecta negatione simpliciter legimus *μικροῦ δέω λίθος — γεγονέναι*. Soph. Tr. 90. *νῦν δ' ὡς ξυνίημ' οὐδὲν ἐλλείψω τὸ μὴ οὐ — πᾶσαν πυθέσθαι τῶν δ' ἀλήθειαν πέρι.* „Οὐ in fine

fine versus, quo libri carent, recte addidit Brunck." Herm. Satis bene, modo ne existimes dubitanter esse dicta. Sensus est hic: Proficiscor. Si prius cognovissem oraculum, pridem affuissem; nunc autem, quum cognitum habeam, ante non quiescam, quam totam rem cognovero. cf. 225. ὁρῶ — οὐδὲ μ' ὄμματος — φρουρὰ παρῆλθε τόνδε μὴ λεύσσειν στόλον. „Nam etsi poterat μὴ οὐ dici, quo significaretur, non commisi, quominus cernerem, tamen gravius est μή non commisi, ut non cernerem." Herm. Minime vero. Non poterat dici μὴ οὐ. Namque choro adventum nuncianti Lichae sic respondet Deianira: „nec fieri potest, ut non cernam. Quodsi τὸ cernere voce excitavisset chorus hoc sensu: nonne cernis Licham, manifesto sic perrexisset D.: cur non cernam, videlicet, quem propius conspiciam accedentem. — At differunt Soph. Aj. 536. et Eur. Med. 1243. — Hdt. 1, 187. quo loco μηδὲν χρ. respiciunt ad proxima τῇσι δὲ πύλῃσι — διεξ., haec autem μὴ οὐ λαβ. αὐτά ad praegressa λαβέτω — χρήματα; etsi ferri potest μή. Anab. Xen. 3, 1, 13. — De re eq. 11, 13. „Si quis secunda fortuna equum emerit, sicque illum educat, ut laborem ferre possit; si recte utatur cum in bellicis exercitationibus, tum in iis, quae ostentandi gratia fiunt, decursionibus — quid impedit, quominus pretiosiores adhuc reddat equos.... μὴ οὐχὶ πλείονός τε ἀξίους ἵππ: ποιεῖν.... quibus in locis μὴ οὐχὶ antehabitum esse propter eorum, quibus adpositum est, fortiorem pulsum, non est, quod asseverantius dicam. Sed recte se habet μή apud Thuc. 6, 28. Aristoph. Pac. 315., econtra ap. Xen. Anab. 4, 8, 14. nimirum si sedem mutaverit πάλαι, dicendum fuisse censeo — τοῦ μὴ οὐχὶ πάλαι εἶναι — cf. Xen. Cyr. 2, 4, 23. Plat. legg. 8. p. 832. a. Atque, ut redeam ad Soph. Ant. 96. πείσομαι..... μὴ οὐ καλῶς θ. „Nihil mihi tale accidit, quominus honeste moriar. Quodsi ὥστε μὴ κ. θ. dixisset, sententia quidem eadem foret, sed fortius (?) expressa: nihil mihi tale accidit, ut turpiter moriar." Herm. Minime gentium. Etenim Ismene omni modo Antigonam ab incepto dehortatura commonefacit simul, ne prosperum speret tanti facinoris exitum, neve impune se ferre existimet legem illam a Creonte rege editam. Antigona autem: „at, inquit, sine me stultitiamque meorum consiliorum tolerare durissima haec; tolerabo enimvero, non autem ita, ut non honeste moriar. Verum fac omissum esse οὐ, sic fere, puto, Ismene allocuta esset sororem: „tute ipsa ruis in perniciem, quae ne honestam quidem mortem occubitura sis. Quo tandem quid potest dici intolerabilius? Atque

Ismene tantum abest, ut vehementius sorori insistat, ut commota profiteatur: *ἄνους μὲν ἔρχῃ, τ. φίλοις δ' ὀρθῶς φίλη.* Caeterum alia de re monere operae pretium duco: nam, si quid video, friget Elmsl. conjectura *πείσομ. γὰρ οὖν.* Ita etiam sensu flagitante Creontis esse contendo haec verba vs. 926. *θαρσεῖν οὐδὲν παραμ.....* Sententia autem haec est: „tantum abest, ut ista fatigatione retractem sententiam meam, ut citius ad supplicium te rapiam. cf. Plat. Phaedr. p. 240. D. Eodemque modo sunt intelligenda verba Thuc. 8, 60. *ἐπὶ γὰρ τῇ Ἐρ. — Εὐβ.* Fieri non potuit, quin gravissimum detrimentum esset Eretriis illatum ab Atheniensibus." Nam etsi poterat dici *μὴ μεγάλα βλάπτειν*, quo significaretur: necesse erat...., tamen, si quidem diligentius et accuratius sententiarum perpetuitatem imo universum narrandi consideraveris ordinem, facile fiet perspicuum, *μὴ οὐ* isti loco esse convenientius. Num quaeso dubitantius disputavit Darius rex (Hdt. 3, 82.) de democratiae incommodis; num certius firmiusque de oligarchia? In oligarchia, inquit, simultates plerumque exstant privatae; ex his seditiones nascuntur; ex seditionibus caedes; ex caede redit res ad monarchiam. Rursus plebe imperitante *ἀδύνατα μὴ οὐ κακότητα ἐγγίνεσθαι, κακότητος τοίνυν ἐγγιν. ἐς τ. κοινὰ ἔχθεα μὲν οὐκ ἐγγίνεται....* Sic Xen. Venat. 5, 31. Apol. Socr. 34, 27. Apud Soph. OC. 572. *μὴ οὐ* pendet ex *συνεκσώζειν*; contra Androm. Eur. 338. *ἦν δ' οὖν ἐγὼ μὲν μὴ θανεῖν ὑπεκδρ. — τὸν παῖδα μοῦ κτενεῖτε.*

Sed plura etiam quum descripserim, rem omnium inutilissimam facerem. Igitur cuivis legenti dijudicanda mandare malim haec: Plat. Euthyd. p. 304. C. Xen. hist. gr. 1, 7, 32. Anab. 6, 2, 24. Thuc. 3, 49. 6, 88. s. fin. 7, 36, quo in loco eadem ratio intercedit particulae *ὥστε* ante inf. collocatae cum omisso adverbio *οὕτως*, quae alibi inter *ὅσον* atque *τοσοῦτον* obtinet. Eur. Jon. 391. Lys. def. Polystr. 696. *κωλύω* coll. Xen. hist. gr. 6, 1, 16. in quem locum diligentius inquisiturus eram, sed ea, quae de hyperbato nondum satis, quantum equidem scio, sunt explicata, hac in scriptione, quae ne justos excedat fines, cavendum est, praetermittam. — Xen. Cyr. 1, 4, 2. 2, 2, 20. Luc. Philops. 8. Demosth. Lept. 459, 12. 484, 7. Xen. Anab. 2, 5, 29. hist. gr. 2, 2, 19. Thuc. 3, 41. 5, 49. Plut. Camill. 29, ubi vellem scripsisset *μὴ οὐ* Lys. acc. Agor. 452. (*ἀντιλέγω.*) Aeschyl. Eum. 296. Eur. Or. 591. Aesch. Prom. 235. Hdt. 1, 86. coll. 87. Eur. H. Fur. 197. Polyb. 2, 55. 4, 20. (*ῥύεσθαι*) Plat. Phaedr. p. 277. E. Sophist. p. 235. B. Parmenid. p. 147. A. Xen. An.

1, 3, 2. Soph. Ant. 263. Eur. Hec. 1231. Heracl. 507. (φεύγω) Isaeus de Ciron. hered. p. 208. Plat. Phileb. p. 13. Demosth. Lept. 498, 10. (ἀμφισβ.) Eur. Phoen. 1191. (εἴργω) Plat. Phaed. p. 87. A. Meno 89. D. Hdt. 6, 88. (ἀναβάλλω) cf. Harpocrat. p. 224. Eustath. ad Od. A. p. 42. ed. Lips. Aristoph. Acharn. 320. (φείδομαι) Plat. Symp. p. 197. Aesch. Prom. 786. (ἐναντιοῦσθαι). Luc. Deor. dial. V. §. 5. Hdt. 1, 105. (ἀποτρέπω) Luc. Bacch. §. 7. (παύω) Soph. OT. 1232. Tr. 90. El. 131. (λείπω) Plat. Cratyl. p. 393. E. (λυπεῖν) Xen. Cyr. 7, 5, 42. (μέμφ.) Luc. Ver. hist. 2, 12. (ἐλέγχω) Luc. rhet. praec. 20. Thuc. 6, 49. 4, 40. Hdt. 1, 68. Plut. Alc. 35. coll. Hdt. 3, 66. Luc. Icarom. 14. Hdt. 3, 51. Plat. Phaed. p. 72. D. Luc. de dom. 17. disp. c. Hesiod. 7. de merc. cond. 5. Hdt. 1, 209. Plat. Phaed. p. 86. A. Luc. pisc. 4. (οὐδεμία μηχανή.) Plat. Soph. p. 219. E. (ἄλογ. ἐστι.) coll. Phaed. p. 62. C. Luc. dial. mort. XXIX. 2. Xen. Ath. rep. 3, 9. Venat. 5, 31. Apol. Socr. 34, 27. Plat. Prot. p. 344. C. Soph. OR. 1084. Plat. Lys. p. 212. B. D. Thuc. 1, 124. Aristoph. Acharn. 1092. Xen. hist. gr. 5, 4, 32. 6, 1, 1. Aristoph. Ran. 43. Xen. Apol. Socr. §. 34. Eur. Or. 1031. Aesch. Prom. 106. (οὐ δύναμαι) Luc. pseudol. 2. (ὑποστέλλω) ib. §. 19. (μεταπείθω.) Xen. hist. gr. 5, 2, 36. ubi videndum est utique, ne corrigendum sit μὴ οὐ. Soph. OR. 1058. Aristoph. Ran. 68. (πείθομαι.) Plut. Alc. 24. Artax. 2. (coll. Arrh. 3, 26.) Xen. hist. gr. 6, 3, 6. (οὐ δίκαιον) Hdt. 7, 5. (οὐκ εἰκός ἐστι) Plat. Phaed. p. 88. B. (οὐ προσήκει συγχωρεῖ) Luc. dial. meret. 3. Plat. Theaet. p. 181. B. (φέρω.) Plat. Symp. p. 210. B. 218. C. (ἀνόητόν ἐστι) Apoll. Rh. 3, 892. Aristoph. Ran. 707. (οὐκ ἔχω) Phaed. Plat. p. 85. C. (μαλθακόν ἐστι) Soph. Aj. 715. (οὐκ ἀρκεῖ) Aesch. Ag. 1170. Luc. Prom. 3. (ὠφελ.) Eur. Hippol. 49. (προτιμᾶν) Hdt. 6, 11. (ἐλπίδα ἔχω) 8, 119. (ἀντίξοον ἔχω) Thuc. 1, 141. (βέβαιον ἔχω) Plat. Crit. p. 43. D. ibiq. Buttm.) Thuc. 1, 128. Plat. Legg. 1. p. 637. C. (ἀπολ.) cet. cet. cet.

Restat, ut de negationibus dicam cum participio vel nomine conjunctis, qua de re sic monet Hermannus: „Has, inquit, — dicit autem partic. μὴ et μὴ οὐ — tenendum est conditionis indicandae causa sic usurpari, ut μὴ si non, μὴ οὐ nisi significet, quae eo differunt, quod nisi dubitantis est, si non autem sumentis quid ut certo negatum." Contra Reisig. (l. c.) sic audimus disputantem: „Huic enim per μὴ neganti οὐ sic additur, ut quis conditionem negationis illam infitietur veluti OR. dicens; δυσάλγητος γὰρ ἂν εἴην τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτ. ἕδρ. per οὐ praecise negat, quod plene ac perfecte sic existimato: ἀτὰρ

ὀυκ εἰμὶ μὴ κατ...." Primum quidem, quod Herm. statuit discrimen, illud verum esse vix crediderim. Nam dicto quoque per nisi comprehendi contendo contrarium quodque, adeo ut consequentiam intelligas esse ajentem et affirmantem. Nam non esse dicitur conditio. Quodsi quis utitur voculis si non, omnis alia quaecunque cogitatio ab loquentis animo remota est. His igitur constitutis utrumque simul dixeris: „parvi sunt foris arma, nisi est consilium domi, et si non est etc.; aequitas tollitur, si habere suum cuique non licet, atque nisi — licet;" sed cave dicas: „justissimum dolorem, nisi potuero frangere, occultabo." Unde sequitur, non usquequaque confundi licere nisi cum si non. cf. Zumpt. 265. ed. 3. Ramsh. §. 190. 4. Grotef. §. 139. Not. 2. coll. 270. 3. Schneid. §. 2877. Schulz (O.) §. 105. 35. 36. — De Thuc. 6, 1 cf. Haack. ad l. et Poppo Proleg. I. p. 150. sq. De Reisigii sententia, quam supra commemoravi de re h. l. exponenda, infra nonnulla dicam. — Quemadmodum ea verba, de quibus h. l. agitur, occurrunt plerumqne cum solo inf. conjuncta, sic etiam nonnulla cum nudo participio consociata invenies. Sic Luc. d. Dom. 4. *καὶ οὐκ ᾐσχύνετο παρακαλῶν...*, Plat. Protag. p. 312. a. *οὐκ ἂν αἰσχύνοιο — αὑτὸν σοφιστὴν παρέχων.* Xen. Cyr. 5, 1, 20. Soph. Antig. 537. Hdt. 8, 26. Eur. Iphig. A. 1512. Verumtamen possunt ejusmodi verba aliter explicari, neque ullum, cum lectitarem, in exemplum incidi, quo probarem etiam negationem ad ea collocatam reperiri cum participio. Idem evenit in verbo *ἀναίνομαι.* Aesch. Ag. 581. Eur. Iph. A. 1512. Sed plurima nobis occurrunt exempla, in quibus verbis ajentibus, iisque negatis per *οὐ* adjecta reperias participia c. *μὴ* et *μὴ οὐ* copulata. Sic Luc. Catapl. §. 23. „etenim dignus non ero, cui fides habeatur, nisi prius ipse, qui sim et quo modo vitam egerim me exhibuerim, *μὴ οὐχὶ πρότερον φανείς.*".. Tox. 16. Dinias — omnia exposuit — non victurum sese, nisi si consuetudinem haberet c. Charicl. — Tyrannic. 15, quem locum vix mihi tempero, quin totum describam. Equidem converterim sic: „verum enim vero ad tyrannos pervenire nunquam mihi contigisset, si, qui illum cingebant, custodes non oppressissem, omnesque satellites ante devicissem." Quae verba tantum abest, ut veram arguant esse Herm. sententiam, ut plane contrarium evincant. Nam, nisi quis ardentissimo velut obloquendi studio abripi se patiatur, fieri non potest, quin hoc saltem mihi concedat, istis verbis quod dubitanter sit dictum omnino nihil inveniri. Quid? nonne hic idem exit sensus, quem paulo post ita expressum videmus: *φυλακῆς ἐκράτησα,*

δορυφόρ. ἐνίκησα, τ. τύρ. ἀφύλακτ., ἄνοπλον — ἀπέδωκα? Quid certius enunciari potest, quid verius? Gratulor igitur Reisigii consensu, viri mentis acumine et sagacitate longe praestantissimi, qui illud quidem primus inter omnes perspexerit, proprium esse hujus loquutionis, non tam, ut dubitanter neget, quam, ut nervosius sententiam consequatur negantem (?) Hactenus igitur mihi cum illo convenit. Sed quod idem participio per *μή* neganti *οὐ* sic addi docet, ut quis conditionem negationis illam infitietur, illud quidem, quem sensum praebeat, ignoro! Quin si consentientem me habet vir doctissimus in recto suorum verborum intellectu, vereor, ut in omnia, quae hujus generis exstant, loca conveniat illa explicandi ratio. Quae quum ita sint, in eo acquiescendum mihi videor loquutionis diversitatem ab accentu repeti debere ac diversa verborum pronunciatione, sic ut, quae proxima collocata sint particulis *μὴ οὐ* voce duntaxat acuantur. Itaque legendum videtur esse etiam hoc loco *μὴ οὐχὶ τ. περὶ αὐτοὺς φυλάκων....* Idem est in eo, qui *περὶ ὀρχήσεως* inscribitur libro § 5. Lucianus autem saltandi artem ejusque studium enixe defendens postquam Cratonem quendam vituperavit, quod, de quibus ipse nihil compertum habeat, haec in crimen vocaverit (*τὰ τ. ὀρχήσ. κ. τ. ἐν τ. θεάτρῳ γενομένων*) is: „hoc enim, inquit, adhuc mihi supererat, ut barba hac promissa et cano capite inter mulierculas — sederem." Quibus ita respondere pergit Lucianus: „*σύγγνωστά σου ταῦτα. εἰ δέ μοι πεισθείης ποτὲ — εὖ οἶδα ὅς οὐκ ἀνάσχοιο ἂν μὴ οὐχὶ πρὸ τ. ἄλλων θέαν — καταλαμβάνων....* non temperabis tibi, quin — o m n i b u s intuearis spectacula. — Alex. §. 59. Alexander impostor quidam, quamquam vaticinatus erat de se fatis esse decretum, ut annos viveret 150; tamen mortuus est nondum 70. annos natus vermibus scatens. Eodem tempore etiam calvus deprehendebatur, quum medicis caput praeberet humectandum cruciatus molliendi causa, id quod facere non potuissent, nisi capillamento detracto — *ὃ οὐκ ἂν ποιῆσαι ἐδύναντο μὴ ουχὶ τῆς φ ε ν ά κ η ς ἀφῃρεμένης.* Eodem modo intelligendus est locus ap. Soph. OR. 13. *δυσάλγητος....* quae verba certe ad sensum optime ita reddidit Solgerus in vers. germ. „**und wäre unfühlend auch, ohn' i n n ' g e s Mitleid solches Flehn mit anzuschaun.** Sane quam frigida est, si quid sentio, Hermanni sententia et ab omni veritate remotissima. Etenim fac dubitantis esse *μὴ οὐ*, haec verba: *μὴ οὐ κατ. ἕορ.* nonne eum praebeant sensum necesse est: Oedipum f o r t a s s e se civium supplicatione motum iri indicare voluisse? Atque Oedipus omni, qua praeditus est atque inter suos aequales

excellit benevolentia, ita est ferreus, ut vexatissimi populi calamitate non moveatur! Qui proxime auxilio se adesse inopibus gloriatur, is fortasse misericordias se habiturum indicat. Videant acutiores! Et v. 222 οὐ γὰρ ἂν μάκραν ἴχνευον.... „parum ipse investigando proficerem, nisi aliquid indicii reperirem." Imo haberem! Verba enim ad eum omnem, quem Oedipus cum Creonte contulit sermonem spectant. Is autem, ubi Delphis reversus vaticinium illud attulit Apollinis, simul, quae sit pestis causa demonstrat quoque modo sananda. His igitur auditis Oedipus ad chorum conversus, ut secum una Laji interfectorem consectetur implorat! nam fieri non posse, ut investigando proficeret, nisi jam aliquod indicium haberet. Intelligit autem, quam Creon retulerat φήμην θεοῦ. Hunc esse verborum sensum statim apparebit, si, quod per participium dicitur μὴ οὐχὶ ἔχων τι σύμβολον solveris in finitum tempus conditionale — εἰ μὴ εἶχον, quod, quid et quale sit satis constat vel inter tirones; nimirum sententiae affirmativae negativam, neganti oppositam esse affirmantem. Prudenter igitur Solgerus: **denn nicht fern gewiß Mocht' ichs erspüren, aller Zeichen ganz entblößt.** Soph. OC. 361. ἥκεις γὰρ οὐ κενή γε — μὴ οὐχὶ δεῖμ' ἐμοὶ φέρουσά τι. Participium pendet e verbis „ἥκεις γὰρ οὐ κενή γε." Significant autem: „non venisti vacua certe, si non adeo terrorem mihi aliquem nunties vel potius: etenim non temere venisti; non sine gravi causa huc ades nunciatum quodcunque sit, dummodo ne terrorem mihi nuncies. Etenim quod Herm. praecipit h. l. ἥκεις γὰρ.... sententiam nihil differre ab ista οὐ γὰρ ἂν ἦλθες in eo, nisi me omnia fallunt, errat vir doctissimus. — Hdt. 2, 110. Darium regem narrat statuam suam voluisse collocare juxta illas, quas Sesostris olim sui in memoriam reliquerat lapideas ante Vulcani templum positas; sed quominus id faceret, prohibitum esse auctore Vulcani sacerdote, non aequum esse monente, ut ante illius monumenta statuam ponat, qui facta non superaverit — μὴ οὐκ ὑπερβαλλόμενον τοῖσι ἔργοισι. Quibus verbis id maxime intendere mihi videtur sacerdos, ne Darius aequiparasse Sesostrin factis satis haberet, quem superaverit potius necesse esse. cf. Polyb. 2, 49. Haec hactenus.

Verum enimvero secus est res, ubi negatio μὴ sola est cum participio juncta, eadem videlicet lege ac conditione, quam supra ostendi hac in re obtinere. Apertum est autem huc non spectare, ut alia ejusdem generis plura omittam v. c. Xen. Mem. 1, 2, 44. ἀνατίθεμαι — εἶναι, in quibus μὴ πείσας

particip. non esse cum praegresso *ἀνατίϑ.* constructum, nemo est, qui non videat. Recte tamen huc pertinent Eur. verba in Troad. 402. *Πάρις ἔγημε τὴν Διός· γήμας δὲ μὴ.....* quoniam, quae ultima posita sunt haec: *σιγώμενον τ. κῆδος* sensu negativo accipi et possunt et debent. Nihil aliud autem indicant, quam quod *ἁπλῶς* sic poterat enunciari: *οὐκ ἂν εἶχεν τ. κῆδ. ἐν δ.* Atque *μή* recte posuit poeta, quia non *γήμας* particip. primaria est notio, quae excitetur, sed negationem accentu acui flagitat orationis conformatio. Contra in Aesch. Prom. 503. legendum esse censeo: *οὐδεὶς (sc. φήσειεν ἂν πάροιϑεν ἐξευρ. ἐμοῦ) σάφ' οἶδα μὴ οὔ μάτην φλῦσαι ϑέλων.* Nemo hoc gloriabitur, nisi si v a n a loqui velit, nisi qui temere sese jactare malit. Eodem jure Soph. Tr. 592. simplicem negationem addidit. Sunt autem verba haec: *ὡς οὐδ' εἰ δοκεῖς ἔχειν ἔχοις ἂν γνῶμα μὴ πειρωμένη*, quae quo apertior sit particulae ratio, sic mihi videor cum praegressa oratione construere. Deianira enim, an, inquit, mittam hanc Herculi vestem Nessi sanguine conspersam? Ch. Si qua tibi fides est ejus rei, mitte. D. Est quidem fiducia, sed tamen ita comparata, ut nondum experta sim. Ch. Fac igitur experiaris, sin minus, nihil refert te fiduciam habere eventu nondum comprobatam." Nec tamen repugno, quominus *μὴ οὔ* scribas, dummodo sine ulla ambiguitate dictum accipias. Xen. An. 6, 2, 19. ubi verba *οὐκ ἂν ἔφη — τ. ἱερῶν* respiciunt ad id, quod Xenoph. ante dixerat: *οὐκ ἐγίγνετο τ. ἱ.* Hdt. 6, 106. *εἰνάτῃ δὲ οὐκ ἐξελεύσ. — κύκλου.* „nono autem die negabant se ingressuros esse priusquam luna impleatur." Quibus dictis nostra confirmandi gratia adduntur haec: *οὗτοι μὲν νυν τ. πανσέληνον ἔμενον.* Plenam lunam igitur hi exspectabant. Num quaeso h. l. ambiguum relinquitur, utrum plenilunium futurum sit, an non sit futurum? Cf., si tanti est, Apoll. Arg. 2, 192. Luc. Tox. 15. coll. 41. Plat. Parm. p. 146. E. Eur. Cress. fragm. III, ubi facile agnoscas pro certo nihil decerni posse, utrum poeta *μὴ οὔ* scripserit, an, quod nunc legitur, *μή.* Plat. Lys. p. 215. C.

Sed huic dissertationi finem imponam. Neque enim aliud volui, quam ostendere, discrimen sensusque particularum nostrarum diversitatem ab a c c e n t u repetendam esse, cujus vim, quamvis permagnam esse non ignorent eruditiores et h. l. et aliis multis neglectam esse video. Latius autem patere contendo quae adposite dixit ad persuasionem Herzog, vir doctissimus, ad Caes. d. b. G. 6, 22. hisce verbis pro me perorans: „Gleichwol beruht auf dem Redeaccente in

lebenden Sprachen soviel, daß manche Construction, namentlich die des Indicativ und Conjunctiv, durch die gehobene oder gesenkte Stimme gewissermaßen als vorbereitet erscheint."

Ἀκηκόατε· ἔχετε· δικάζετε. Ἀλλ' ὁρᾶτε γὰρ μὴ οὐ τοῦτο σκεπτέον ᾖ, ὅστις εἶπεν, ἀλλὰ πότερον ἀληθὲς λέγεται ἢ οὔ.